

Nf 14



In hoc vol. continentur

I. MICHÆELIS.

De Iesaja Propheta.

De libro Cohelath

Idem. Editio secunda.

Lectiones Cursoariae, seculares in Disput. Inaugur.

De Rege Ezechia Disput. Inaugur.

De aequali pretio fidei.

In S. Iacobi Epistolam.

De vera gratia Iesu Christi, qua Christiani iunguntur et saluantur.

De Christo Petra.

II. LANGII

De genuina studii Theol. indole.

De Regeneratione ad spem vitam.

Idea boni animarum pastoris

De Mystero ΛΟΓΟΥ ΥΠΟΣΤΑΤΙΚΟΥ

Isagoge in Epist. 1. Joannis.

Theologiae Studiosus, Verbiq. Div. Minister aptus et fidelis.

Theodidascalia, e Spiritus Sancti unctioe proveniens.

De diversis domus Dei vasib.

De Melchisedeco Disput. I.

Disput. II.

De ortu animae humanae non per essentialē emanationē,  
sed per creationem a Deo Disput. prior.

Disputatio posterior

Mosis Amyraldi Oeconomia trium personarū in operib; Div.  
Episcopis in Iudicium Gamalielis.

De Poena Fatalis Theologicē evidētia, et exemplis bibl. illustr.

Langii lectiones Cursoariae, et q. seculares

Disputatio Inauguralis de Indulgentiis, qua  
Theses xcv. Lutheri quae indulgentias illustrantur  
Dissertationum Anti-Socretianarum, Dodecas prior  
Dodecas posterior.

✓

5

*Q. B. V. D. O. M.*  
DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGVRALIS  
DE

**REGE EZECHIA,  
ECCLESIAE ISRAELI-  
TICAE SIVE IVDAICAE RE-  
FORMATORE,**

*QVAM*

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DOMINO CAROLO,**

PRINCIPE PORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBVRGICO, AC RELIQVA,

*EX DECRETO VENERANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA,*

**PRO GRADV DOCTORIS  
THEOLOGI,**

More Maiorum legitime capeffendo,

*A. d. XXVII. Octobr. anni secundi seularis Evangelici clō Iocē xvii.*

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante & post meridiem consuetis,

Placidæ Eruditorum disquisitioni submisit

**IO. HENRICVS MICHAELIS,**

S. S. Theol. & sacrarum linguarum P. P. Ord.

---

*RECVSA HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ. 178.*

e.



D I S S E R T A T I O T H E O L O G I A I N A U G U R A L I S

REGE EZECHIAE  
ECCLESIAE ISRAELI  
TICAE SIVE IUDAEICAE RE-  
FORMATORE,

DOMINO CAROLO  
PRINCIPIS PORVSIENSIS MARSHONIE BRAN-  
ET DECORATI TITULO DOCTORIS THEOLOGICI  
IN REGIA UNIVERSITATE  
PRO GRADU DOCTORIS  
THEOLOGICI

IO. HENRICVS MICHAELIS

Typis Christiani Henckellii Acad. Typogr.





PRAEFATIO.



**I**ngens DEI Opt. Max. beneficium est, Christiane Lector (vt pii Maiores & Ordines Euangelici in Praefatione ad librum Concordiae grata mente profitentur,) quod postremis hisce temporibus, & in hac mundi fenestra, pro ineffabili clementia & misericordia, lucem Euangelii & verbi sui, per quod solum veram salutem accipimus, post tenebras illas humanarum superstitionum, duobus abhinc saeculis, puram & sinceram nobis exoriri, ac mundo praelucere voluit. Cuius tanti beneficii memoriam dum *Serenissimi ac Potentissimi Regis Borussiae, Regis ac Domini nostri longe clementissimi iussu*, proximis diebus non solum Ecclesia, sed etiam Academia nostra pia solemnitate cum aliis celebrabit: visum est illis, quorum voluntati refragari diutius mihi haud licuit, vt, qui ex diuina misericordia per septemdecim annos sacras linguas docui, nunc etiam per octennium S. Theologiam heic profiteor, solemnibus quoque Doctoris theologi iuribus ac priuilegiis, cum honoratissimis duobus D.D. Collegis, hac occasione inaugurarer. Quumque alia nunc impediant selectioris argumenti theologici, quod tempori & solemnitati huic conueniret, exactam meditationem: placuit mihi breui tantum dissertatione considerare *Reformatorem Ecclesiae Israeliticae*.

*ricæ sue Iudaicæ, piensissimum regem Hiskiam: ita quidem, vt I. differtat. capite, sec. potiora momenta spectetur Hiskiaë pietas, & susceptæ ab eo reformationis historia, cum consequentibus, vsque ad beatum vitæ eius finem; II. autem capite obseruationes nonnullæ, conclusiones & porismata ex dictis in I. capite, studiose etiam ipsius Lutheri verbis, colligantur: vnde constat, tum quod recte quoque a B. LV-THERO ac piis Maioribus facta sit doctrinæ & cultus diuini emendatio; tum quod nobis etiam in praxi faciendum adhuc restet, vt dignam Euangelio CHRISTI vitam ducamus, gratias agentes DEO PATRI, qui nos idoneos reddidit ad participandam sanctorum sortem in luce. Qui nos ex tenebrarum potestate vindicatos transtulit in regnum sui carissimi FILII, in quo liberationem habemus per eius sanguinem, peccatorum veniam cetera. Col. 1, 12. 13. 14. Ita fiat, quod precamur; & ducat nos DEVS feliciter in instituto nostro per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, & per Spiritum veritatis suæ! Amen.*

CAPVT I. HISTORICVM.

*IN quo Hiskiaë Regis sincera pietas & fides in DEVM, seu fundamentum reformationis sc̄. §. I. laudatur; eaque in reformatione cultus diuini perspicue probata §. II. nihilominus in aduersis grauissime tentata §. III. diuinitus autem mirabiliter confirmata §. IV. & præmiis §. V. ac post impetratam, per fidem in CHRISTVM, peccatorum veniam, beata tandem morte a DEO gratiosè pensata fistitur, §. VI.*

§. I.



**H**ZECHIAS siue HIZKIAS, a) Ahafi, superstitiosi admodum ac summe impii Iudæorum Regis, filius optimus & successor, Dauidisque progenitoris sui egregius imitator: b) vt a Patre, vix pubere genitus, c) & ab immolatione filiorum d) hostiumque gladio 2 Par. 28, 3-7. singulari Dei prouidentia seruatus fuit:

ita



ita postquam cum ætatis suæ anno vigesimo quinto regnare cœpit, e) difficillima tempora, & Patris ac summi Pontificis Vriæ impietate f) in republica & ecclesia res per omnia turbatissimas inuenit. g)

a) Nomen Hebr. חזקירו & חזקירו 2 Reg. 16, 20. c. 18, 1. 4. 9. 13. 15. cet. q. d. *Robur meum aut fortitudo mea est* DOMINVS, coll. Pf. 18, 2. vel יחזקירו i. e. *præualebit* DOMINVS, vt 2 Par. 28, 27. c. 29, 1. 20. & c. conuenit cum cognato Ezechielis nomine, quod itidem Hebr. יחזקאל *præualebit* DEVS, significat. Conf. *Dissert.* nostram de *Iesaja* p. 7. Id vero nomen, si ex parentis voluntate (vt Gen. 4, 26. c. 5, 3. 29. c. 21, 3. c. 25, 26. c. 41, 51. & c.) Hiskiaë impositum fuit, magnum ille iam tum hypocritam egit, vel, more profanorum hominum, de re, per nomen illud significata, prorsus non cogitauit; vel nimium saltem a fide ac fiducia sua in DOMINVM postea deficit: homo utique summe impius, leuis ac timidus, ἀνόητος ἢ τὸ συμψέροντος ἀσυνλόγητος, vt *Ioseph.* Ant. Iud. lib. 9. c. 13. de eo loquitur: & vt pietatis in DOMINVM simulator, ita mox contemtor eius turpissimus. De diuino enim auxilio ac potentia quum impie desperaret *Es.* 7, 12. 13. ad Assyriorum regem confugit, eiusque in clientelam se ac regnum Iudaicum, magno cum malo suo, tradidit. 2 Reg. 16. 7. 2 Par. 28, 16. 20. Nec tantum, Israëliticos reges imitatus, *Baalibus* simulacra conflauit 2 Par. 28, 2. sed & *filios suos adoleuit* v. 3. & loco veri cultus diuini omnis generis idololatriam vbique locorum instituit 2 Reg. 16, 4. 2 Par. 28, 4 22 - 25. Melius utique nominis sui mensuram fide in DEVM explere studuit Hiskias noster, vt frequentia probabunt.

b) *Fecit enim (secundum omnia, que fecit Dauid, ipsius progenitor) quod rectum erat in oculis Domini* 2 Reg. 18, 3. יהוה חסד ורחמים לפני יהוה אלהיו *bonum & rectum, & fidem s. veritatem in conspectu Domini Dei sui: idque בכל כחם ובלב שלם* 2 Par. 31, 20. 21. *sive* *in veritate & corde perfecto seu integro.* & c. 2 Reg. 20, 3. *fic- ut etiam postea fecit Iosias* c. 22, 2. & rectius omnino, quam

*Amatias* 2. Reg. 14, 3. 4. & *Azarias* f. *Vzzias* c. 15, 3. alique qui ad plures in sacris abusus ex obliquis seu humanis respectibus conuiebant. Vide sis *Abarb.* Comment. in Proph. priores. fol. m. 293. c. d.

c) *Hiskiam* non naturalem, sed adoptiuum *Abazi* filium fuisse, plures opinati sunt, quod vix vndecim aut duodecim, saltem tredecim tantum aut quatuordecim annis parente iunior fuerit; si *Ahazum* secundum 2. Reg. 16, 2. c. 18, 2. 2. Par. 28, 1. c. 29, 1. anno vitæ 20. completo regem factum; finito quoque anno regni 16. obiisse; *Hiskiam* vero cum initio aetatis suæ 25. regni administrationem suscepisse statuas. Verum quia Scriptura eum dilerte filium *Abazi* dicit, & *Matthæus* c. 1, 9. *Abazum* *Hiskiam* genuisse confirmat, tutius omnino putamus, verbis Scripturæ inhaerere, si nec simile quid in vniuersa Scriptura reperiretur. Conferri tamen potest, vt *Lightfootus* Chronol. V. T. p. 104. monuit, tenera quoque *Iudæ* ætas, qua is filium suum maximum natu, *Erum*, genuit, Gen. 38, 2. 3. & secundum probabilem *Lightfooti* calculum p. 18 - 22. anno ætatis vix 43. cum duobus ex *Perefo* nepotibus, sec. Gen. 46, 12. in *Aegyptum* venit. (Subtrahe namque a summa illa 43. annorum pro *Perefo*, duorum filiorum iam patre, *sedecim* saltem annos; pro *Thamare*, *Selam* diebus multis, seu longo fatis tempore, expectante Gen. 38, 12. annum vel biennium; & pro *Ero* ac *Onane*, implis maritis, *quindecim* saltem annos; vix *decem* vel *vndecim* annorum *Iudas* fuerit, quando primogenitum ex vxore suscepit: nisi unum vel alterum ex filiis eadem ætate maritum ac parentem statuas.) Etsi rarissima hæc & singularia in populo Dei facta minime ad imitationem proposita sint, multoque minus aliis regulam faciant. Nec desunt tamen paria exempla eorum, qui decimo vel vndecimo ætatis anno genuerunt. Talem de decenni puero narrationem refert *B. Hieronymus* in epistola ad Vitalem tomo III. p. 77. seq. & plura *Interpretes a Polo* ad 2. Reg. 13, 2. allegati produciunt, item *Bochartus* in epistola ad Carbonellum, ad calcem *Geograph. S. edit. Batav.* p. 920. qui & recte addidit, in calidioribus illis oris celerius pueros & puellas pubescere. Quod vel *Hispanorum*

rum exemplo satis constare, ait Clericus ad 2 Reg. 18, 2. Sic de Indis Theueneri Itinerarium Indicum lib 1. c. 48. p. 250. h. m. refert: Indi huius regionis Baglane, sicut etiam per reliquum regnum Decan (sub Mogole Indorum) liberos suos matrimonio addicunt tenera admodum etate, citiusque coniugio eos copulant, quam alibi in plerisque regionibus Indorum. Connubia enim instituunt inter liberos quatuor, quinque aut sex annorum, eodemque in lecto eos dormire permittunt, quum mas decennis est, & femina octennis: & reperti sunt, qui hac etate generarent &c. Idem de regione Azmer ibid. p. 153. Puella, inquit, hic admodum maturatione nubiles sunt, ut in pluribus Indiæ locis, ubi plerumque maritis iunguntur anno ætatis octauo vel nono, & decimo puerperæ fiunt. Confer etiam de præmaturis Malabarorum connubiis Missionis Danicæ relationes, proximis his annis hic publicatas. p. 447. Laudabilior omnino & sanctis Patriarcharum moribus conuenientior est, a Romanis quoque Scriptoribus, Iulio Cæsare de Bello Gall. l. 6. c. 21. & Tacito de moribus German. c. 20. in veteribus Germanis celebrata sera iuuenum Venus, adeoque inexhausta pubertas. Ea enim multitudinem gentis nostræ non minuit, sed auxit, & originem dedit tot sequentium per Europam migrationum, ut Buxhornius in tabb. suis Chronol. p. 31. adnotauit. Quod autem Io. Clericus in Comment. ad 2. Reg. 18, 2. forte satius esse, hic quoque errorem librariorum in numeris agnoscere, & facile certe eiusmodi menda in Hebræorum sacros libros, ut in aliis omnes, ne exceptis quidem N. T. codicibus, irrepere potuisse censet; id, uti in genere periculosum & erroneum est, ita & hic per ea, quæ hætenus adduximus, minus necessarium ac temerarium esse putamus. Multa & alia, l. c. recte ait B. Hieronymus, dicuntur in Scripturis, que videntur incredibilia, & tamen vera sunt. Neque enim valet natura contra naturæ dominum; aut potest vas figulo dicere, quare me ita fecisti, aut ita? licet, quod pro miraculo, signo aut portento sit, legem naturæ facere non possit.

d) Κατὰ τὰ Χαρακτῆρας ἐστὶν, ut Iosephus habet l. 9. c. 12. vel ut 2 Par. 28, 3, legimus: suffitum Ahaz obtulit in valle Ben-Hinnom, & filios suos igne combussit, secundum abominandos mo-

res earum gentium, quas *DOMINVS* ideo etiam eiecerat a conspectu Israelis, coll. c. 33, 2. 6. Lev. 18, 21. c. 20, 2-5. Deut. 12, 31. c. 18, 10. 2 Reg. 17, 16, 17. 31. c. 21, 6. Ier. 7, 31. c. 19, 5. c. 32, 35. Ezech. 16, 20. c. 23, 36 57. Hof. 13, 2. Mich. 6, 2, 7. &c. Horrendum istam cultum, (cui *abusus* historiae *traditionis de diuina Abrahami tentatione* Gen. 22, 1. seqq. originem dedisse videtur, coll. infra p. 22. §. IV. not. r) saniores quoque ethnici detestati fuerunt. Sic *Iustinus Trogi* lib. 18. c. 6. de Carthaginensibus: *Quum inter cetera mala etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scolare pro remedio vsi sunt. Quippe homines, ut victimas immolabant; & impuberes (que etas etiam hostium misericordiam prouocat,) aris admovebant: pacem deorum, sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.* Idem lib. 19. c. 1. *Legati a Dario Persarum rege Carthaginem venerunt, adferentes edictum, quo Pœni humanas hostias immolare, & canina vesci prohibebantur, mortuorumque corpora cremare potius, quam terra obruere, a rege iubebantur.* Vide etiam *Curtium* l. 4. c. 3, & ibid. *B. Cellarium* in notis, it. *Lactantium* l. 1. c. 21. cet.

e) Per vnum vel alterum annum superstiti, vt videtur. *Pa-rente.* Is enim *sedecim* annis sec. 2 Reg. 16, 1. regnavit. *Hofeas* autem anno eiusdem *duodecimo* rex Israelis factus est c. 17, 1, cuius vero *tertius* cum *Hiskia* primo, & *septimus* cum *Hiskia* quarto anno copulatur 2 Reg. 18, 1. 9. Alii tamen c. 17, 1. *duodecimum* *Ahazi* annum *fnitum*, & c. 18, 1. *tertium* *Hofeae* *completum*, esse intelligendum putant, vitimo *Ahazi* anno cum primo *Hiskia* incipiente.

f) Administer scelerum *Ahazi* & profanationis legitimorum sacrorum fuit ipse illius temporis *Pontifex* Iudæorum maximus, *Vrias* (idem fortassis, qui *Amarias*, 1 Par. 5, 37. vt conicit *Gruenenbergius* in notis ad tab. VI. *geneal. sacr.*) pessima in Deum fide, & contra expressam eius legem, Regi in omnibus ad nutum obsequi paratus, 2 Reg. 16, 10-16. Successisse illi in Pontificatu *Neriam*, tradunt *Ioseph. A. Iud.* lib. 10. c. 11. & Hebræi in *Seder Olam* minori p. m. 105. edit *Meyeri*. Forte & hic idem est cum *Azaria*, qui vt *Pontifex* tempore *Hiskia*, 2 Par. 31, 10. 14. laudatur.

g) Vi-

g) Vide verba textus 2 Par. 28, 5-8. Ideo **DOMINVS** Deus ipsius (a quo impie defecerat Ahazus) tradidit eum in manum regis Syrorum, qui percusserunt eum, & captiuos ex eius populo fecerunt longe plurimos, eosque Damascum abduxerunt: immo etiam in manum regis Israelis traditus est, qui magna eum clade adfixit. Occidit enim Pekah, Remaliae filius, uno die in Iuda centum & viginti millia virorum, qui omnes fortes fuerant aut strenui milites: idque propterea, quod deseruissent Iehouam, Deum patrum suorum (Hebr. **בְּעֵינֵיכֶם מֵאֵלֹהֵי אֲבוֹתֵיכֶם**). Errat igitur ex neglectu particula: **אֵל** in constructione & versione sua Clericus: quum eos Iehoua, Deus maiorum illorum, deseruisset.) Occidit etiam Zicbri, fortis Ephraimita, Maafeiam, Regis filium, & Azrikamum, magistrum palatii, item Elkanam, secundum a rege. Quin etiam Israelitae de fratribus suis captiuam abduxerunt ducenta millia mulierum, & puerorum ac puellarum, multamque praedam ab illis rapuerunt, & Samariam deportarunt &c. Insuper sec. 2 Par. 28, 17-20. Idumaei etiam venerunt, multosque occiderunt in Iuda, & captiuos abduxerunt. Philistaei quoque excursus fecerunt per vrbes planitiei & meridianae partis Iudae, & ceperunt Beth-schemech, Aiialon, Gederoth & Socho, item Thinnam & Gimzon, & villas earum: ibique habitauerunt. Depressit enim Iehoua Iudam, propter Ahazum, regem Israelis; quod peccandi licentiam fecisset in Iuda, & grauisissime peccasset contra **DOMINVM**. Tandem venit etiam ad eum (inuitatus) Thilgat Pilneser, Rex Assyriorum; & angustias illi fecit, neque firmavit eum &c. Adde de turbatis sacris verba Hiskiae ad Leuitas 2 Par. 29, 6. 7. Sordes, aut immunditiam idololatricam, e sanctuario eiicite. Peccarunt enim parentes nostri, & fecerunt, quod malum est in oculis Iehouae Dei nostri, & deseruerunt eum: auerterunt enim faciem suam ab habitaculo Iehouae, ei que ceruicem obuenterunt. Clauserunt etiam fores vestibuli, seu porticus, & extinxerunt lucernas, & fissitum non adoleuerunt: nec holocausta in sanctuario Dei Israelis obtulerunt. Vide etiam 2 Reg 16, 10-18, 2 Par. 28, 22-25, ne plura haec adferamus.

B

§. II.

§. II.

Magno tamen is animo *h)* & insigni in Deum pietate, fiducia ac fide, *i)* quum probe intelligeret, regnum Israelis & Iudææ propter idololatriam & impietatem vastatum esse *k)* pulcherrimum regnandi auspiciam a reformationis opere *l)* fecit: dum non solum nihil cunctatus, inter Iudeos primo anno, & primo illius mense, immo primo quoque die, coll. 2. Par. 29, 3. 17. verum Dei cultum per edicta publica renouauit; Templum DOMINI, impie a parente occlusum, referauit, *m)* scedisque superstitionibus contaminatum, per conuocatos, & verbo diuino excitatos Leuitas ac Sacerdotes *n)* repurgauit 2 Par. 29, 12-15. legitima vero sacra & sacrificia *o)* instaurauit, ibid v. 20-35. idola autem & excelsa, *p)* lucos & statuas, quin ipsum etiam æneum serpentem diuino iussu quondam factum, indeque a Mosis vsque temporibus seruatum, sed superstitiose tandem cultum, *q)* animose confregit: *r)* deinde & Urbem ab idololatriæ inquinamento repurgauit; *s)* Pascha autem secundo mense celebrauit, *t)* & reliqua, ad sacrum cultum, & sacerdotum ac Leuitarum sustentationem, necessaria ordinauit; *u)* sed etiam uniuersos Israelitas, Hoscæ regi subiectos, *x)* ad eandem pietatem *y)* per litteras, amoris in ipsos, & pietatis in DEVM plenissimas, *z)* inuitauit; nec paucos eorum, quæ DEI virtus ac gratia erat, ridentibus licet in suam perniciem contentoribus, ad legitima & patria sacra reduxit; *a)* adeoque veram religionem & Dei cultum, quæ pristinam suam & a Deo præscriptam formam sub Parente plane amiserant, feliciter instaurauit, nec sine optato successu ad verbi diuini normam emendauit. *b)*

*h)* Nescio, quid magni alioquin ingenii virum, *Hug. Grotium* mouerit, cur is ad 2 Reg. 18 r. adnotaret: *Vir sane bonus Hiskias, sed ingenio timidiore, cetera.* Neque enim per totam Hiskia: historiam quidquam deprehendimus, quod timidi-

midioris ingenii indolem referat. Quin potius per naturam animo suo ambitiosior & plus iusto audacior videri poterat, si de actionibus eius ex humanis tantum respectibus iudicare quis vellet. Diuinæ tamen omnino virtuti & heroicæ ipsius fidei, (qua vix similem habuit inter prædecesores, & successores reges Iudæorum 2 Reg. 18, 5-7. quam & hostes non sine admiratione ei exprobrauerunt, ibid. v. 19.) tribuendum esse, putamus, quod difficillimis temporibus reformationem diuini cultus in-trepido animo suscepit, & in desperatissimis suis, vt videban-tur, rebus, ipse non tantum fiducia in Deum perdurauit, sed & suos grauissimis rationibus ex verbo Dei confirmauit, 2 Par. 32, 1-8. ex-citationibus, consiliis & precibus Iesaiæ, aliorumque virorum Dei, sine dubio suffultus & adiutus: quod diserte de Iesaiâ legimus 2 Reg. 19, 2. 4. 20, seqq. Es. 37, 2. 2 Par. 32, 20. Sir. 48, 20. 22. coll. Dissert. nostra de Iesaiâ p. 13. Iosephus A. Iud. l. 9. c. 13. Τῶν μὲν ἀπειλῶν τῶν ἀσσευίων βασιλέως ἐκ ἐφρόντισεν, ἐδά-ρει δὲ ἐπὶ τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ, καὶ τῶν περὶ τῆς Ἡσαΐαι, παρ' ἧ πάν' ἀκρίβως τὰ μέλλοντα ἐπυνθάνετο.

i) Nam vt verba sacrae historiae habent 2 Reg. 18, 5. 6. ביהוה אלהי ישראל בטח In DOMINO, Deo Israelis confi-sus est; (h. e. omnem spem & fiduciam in DOMINO habuit, & toto animo secure in eo requieuit, animumque ita aduersus omnia pericula, labores & impedimenta ob-firmavit, coll. Es. 12, 2. Pf. 27, 3 Rom. 8 31. 33.) nec post eum similis inter omnes Reges Iudæ fuit, vti nec inter eos, qui ante ipsum fuerunt. Adhæsit enim DOMINO, nec ab illo recessit; sed obseruauit præcepta ipsius, quæ Mosi præcepit. „Nec opus est, inquit Abarb. Comment. ad h. l. fo. 294. a. vt „cum Interpretibus subaudias, excepto Dauide & Salomone: nam „& illos vitæ integritate vicit, nec adeo grauiter, vt illi, pec-„cauit &c. Bene Grotius ad verba textus: In Domino, Deo Israel sperauit; Ingens, inquit, testimonium, & quod omnes vir-tutes vi sua contineat: coll. Philonis sententia ex libro: Quis rerum diuinarum hæres. p. m. 493. Conf. Hebr. II, 1. seqq. 3. 34.

k) Vide supra in not. g) verba ipsius ex 2 Par. 29. 6. 7. 19. citata, & adde ex eiusdem capituli v. 8. Vnde ira DOMINI fuit super Iudam & Hierosolyma; deditque eos expositos commotioni, stupori & sibilis, quemadmodum oculis vestris vos ipsi videtis v. 9.

Nam ecce gladio ceciderunt patres nostri; & filii nostri filiaeque, & uxores, in captiuitatem propterea abducti sunt. Sic c. 30, 7. Ne fitis, inquit, vt patres & fratres vestri, qui contra Iehouam, Deum patrum suorum perfide egerunt, quamobrem eos stupori omnium exposuit, sicut vos ipsi videtis. 2. Reg. 18, 12. Abduci Dominus Israelitas fecit, quod non obedirent voci Iehouae Dei sui, sed fœdus eius transgressi essent, & omnia, quae praeceperat Moses, seruus Domini: non, inquam, audiuerunt neque fecerunt ea. 2 Par. 28, 12. sacrificauit Abazus diis etiam Damascenorum, qui eum percusserant: dixit enim, quandoquidem dii Syrorum eos adiuant, ideo illis etiam sacrificabo, vt me quoque adiuent. Verum illi fuerunt ei causa ruinae, & tori Israeli; coll. 2 Reg. 19, 18, &c.

l) Quod latius describitur 2 Par. XXIX. XXX. & XXXI.

Οὐδὲν γὰρ ἄλλο πρῶτον, εἰς τὴν βασιλείαν παρελθὼν, εἰδὲν ἀναγκασιώτερον, εἰδὲν συμφορώτερον αὐτῶ τε καὶ τοῖς ἀρχομένοις υπέλαβε, τὸ θεησιβεῖεν τὸν Θεόν, vt recte notat Ioseph. A. 1. lib. 9. c. 13. conf. Matth. 6, 33.

m) Collegit enim Abaz. vasa domus Dei, eaque confrégit, & fores Templi clausit: altaria vero sibi per omnes Hierosolymae angulos exstruxit 2 Par. 28, 24. vbi R. Sal. in Comment. Templi ianuas Abaz. occlusit, ne sacerdotes ad ministerium DOMINI introirent, sed altaria adirent, in omnibus angulis Hierosolymorum exstructa.

n) Ceu ordinarios sacrorum in V. T. ministros, coll. Exod. 28, 1. seqq. Lev. 8, 1. seqq. Num. 3, 5. seqq. c. 8, 1. seqq. 1 Par. 23, 13. Hebr. 5, 4. 11. Sic 2 Par. 29, 4. Et accersit Hiskias sacerdotes & Leuitas, & dixit v. 11. Ne ergo, o filii mei, nunc quieti aut segnes sitis! Vos enim elegit DOMINVS, vt stetis coram ipso ad ei ministrandum; & vt seruiatis ipsi, ac incensum adoleatis.

o) Meritorum, seu mortis ac satisfactionis Christi expressas figuras, & a Deo ipso institutos typos, vt passim in notis nostris ad Hebr. Codicem, e. c. Exod. 29, 10. Lev. 1, 3. 5. c. 16, 34. c. 17, 4. 10. Num. 35, 25. Deut. 12, 11. Ios. 22, 12. El. 43, 23. 24. c. 53, 6. 10. 11. Ier. 7, 22. 23. Pl. 32, 1. & 40, 7. & 50, 8. 14. & 51, 9. 21. cer. ostendemus, coll. Rom. 3, 25. Heb. 9, 22. 28. c. 10, 1-8. &c. Confer Vener. D. Maii Oecon. V. T. p. 279. 199. &c. Kimchi ad 2 Par. 29, 21. Pro regno, inquit, & pro sanctuario, & pro Iuda, holocausta & sacrificia pro peccatis offerri iussit Hiskias, quia haec omnia expia-



zione indigebant: הו צריכים כפרה: כי כלם היו צריכים כפרה: Atqui fec. Hebr. 10, 4. ἀδύνατόν ἐστίν, ἀίμα τάντων ἢ τράγαν ἀφαιρῆν ἀμαρτίας.

p) R. Levi ben Gersom ad 2 Reg. 18, 4. Quæ exstructa erant, vt Deo benedicto in iis sacra facerent, nec a prædecessoribus remota erant. Vide 1 Reg. 15, 14. c. 22, 44. 2 Reg. 12, 4. c. 14, 4. c. 15, 4. 34. Abarbanel ad l. c. Etsi Hiskiaæ antecessores, Asa, Iosaphat & Ioas, etiam fecerunt, quod Domino placeret; at tamen de illis dicitur, *populus adhuc sacrificia & thura in excessis offerebat: donec Hiskias venit, & de medio illa sustulit, ne alibi, nisi in vno altari DOMINI, holocausta & victimas suas offerrent, vt nimir. Lege diuina præscriptum erat Exod. 20, 21. Deut. 12, 11. 13. 14. &c.*

q) Nam ad illud vsque tempus Israelitæ הו מקטרים לו incensum aut *suffitum ei adoleuerant* 2. Reg. 18, 4. quod inter illa erat, quæ folius Dei honoribus reseruata, extra Templum vsurpare non licebat, vt *Grotius* monet, coll. Exod. 30, 38. *Syrus* interpres id reddidit, *aberrauerant post eum, eumque coluerant.* Non amplius eum pro nudo memoriali miraculosæ sanationis habebant, sed velut medium gratiæ diuinæ, aut etiam velut numen beneficum, quod maiores eorum seruasset, ipsum respiciebant. *Kimchii* commentarius ad 2. Reg. 18, 4. ita habet: *Quia scriptum repererunt Num. 21, 8. qui respexerit ad serpentem æneum, viuet putarunt bonum esse, vt illum pro mediator habere, ac colerent.* Fuit autem ille inde a tempore Mosis in memoriam illius miraculi seruatus, sicut etiam vasculum cum *Manna* (Exod. 16, 33.) seruatum fuit. Eum vero Asa & Iosaphat cum „reliquis idololatriæ instrumentis non sustulerunt, quod suo „tempore non deprehenderent, homines ei superstitiose thura offerre, vnde eum in memoriam miraculi reliquerunt. Hiskias autem ideo de medio tollendum esse vidit, quod sub parente ipsius eum idololatrice coluissent; etsi, qui rectius sentiebant, in eo miraculi monumentum haberent. Dixit enim „Hiskias: melius est, ipsum serpentem tollere, si vel miraculum illud in obliuionem abiret, quam relinquere eum, vt iterum post eum a vero Deo Israelitæ aberrant. R. Levi ben Gersom: „Putarunt huic simulacro diuinam inesse virtutem, quod Moses illud fecisset, omnisque, qui ipsum respexerat, sanatus esset.

„fet. Num. 21, 8. 9. Nec male etiam Clericus ad 2. Reg. 18, 4. Non est quidem credibile, ait, a temporibus usque Moſis, sine vlla intermissione cultum fuisse aenei serpentis simulacrum. Non videtur hoc passurus fuisse David, vti nec Salomo primis regni sui annis. Sed potuerunt esse homines superstitiosi, qui interdum ad illud simulacrum suffitum adoleuerint, quasi in honorem veri Dei, qui iusserat id Mosē constare: dein aucta etiam, vt fit, superstitione, coluerint aut Deum Israelis sub ea imagine, aut, quod deterius erat, peregrinum numen animo ei substituerint, atque simulacrum eius Dei aeneum serpentem habuerint. Quod quum esset ab Hezekia animaduersum, id confringi merito iussit.

r) Percontentum נחשת h. e. aes draconis, siuenihil nisi aeneum serpentem dicitans. 2 Reg. 18, 4. R. Sal. q. d. צורר מה : כזה אינו אלא נחש נחשת. Quenam eius utilitas aut necessitas esset? Nihil est, nisi serpens aeneus. Sic etiam Kimchi & R. Leui. Grotius: q. d. Aes est, praeterea nihil. Quo impensus colebatur, eo magis depretiandum putabat. Conf. 2. Reg. 19, 18.

s) Vide 2 Par. 30, 14. Quod deinde etiam in vniuerso Iuda, Biniamin, Ephraim & Menasse factum est 2 Par. 31, 1.

t) Ex consilio procerum, & populi consensu 2 Par. 30, 1. 2. 5. Non enim poterant, vt alioqui fec. legem Exod. 12, 6. feqq. debuissent, primo mense id celebrare: כי הזהנים לא התקדשו : למרי והעם לא נאספו לירושלם : Sacerdotes enim sat magno numero (Vulg. qui possent sufficere) non sanctificati erant; & populus nondum erat Hierosolymam congregatus. v. 3. coll. Num. 9, 6-14. Sed & hoc notari meretur, quod multos ad agni pathehalis comestionem admiserit, etiamsi secundum carimonias Leuiticas nondum omnino puri atque parati essent; plus in isto necessitatis casu fidei recte tribuens, & precibus, ac bonæ menti, quam scrupulose rituum obseruationi. vide 2 Par. 30, 17. 20. coll. ibid. v. 5. it. Hof. 6, 6. 1 Sim. 21, 5. feqq. Matth. 12, 3. feqq.

u) Vide id pluribus relatum 2 Par. 31, 2. 19. Constituit enim H. skias sec. v. 2. 3. & 4. classes sacerdotum ac Leuitarum, sec. distributiones eorum, & vnumquemque pro ratione ministerii sui, tunc sacerdotes tum Leuitas; ad offerendum holocausta & victimas salutares: vt ministrarent & gratias Deo agerent, eumque laudarent intra portas castrorum (Templi) DOMINI. Portionem etiam

*iam regiam de facultatibus suis constituit ad holocausta quotidiana matutina & vespertina, & holocausta in sabbathis, nouiluniis & solemmibus festis: sicut prescriptum erat in Lege DOMINI. Populum quoque & incolas Hierosolymæ dare iussit debitam sacerdotibus & Leuitis partem: ut firmi (h. e. constantes & adidui) essent in lege DOMINI faciendâ & docendâ. Quam regis curam non inanem, aut sine effectu fuisse, sequentia v. 5-19. exponunt. Quum enim regium illud mandatum promulgatum esset, magna copia Israëlitiæ dederunt primitias frumenti, musti, & olei & mellis, omnisque proventus agri: decimas etiam omnium rerum magna copia aduexerunt. Quia populo suo ita benedixit Dominus, ut non solum Sacerdotes & Leuitæ haberent, quod satis erat, sed magna etiam copia reliqua esset. Quæ omnia vt recte administrarentur, Rex itidem, vt bonum ac pium principem decebat, laudabili cura prouidit.*

x) Hoses anno Iothami (si hic vixisset, coll. 2 Reg. 15, 33.) vigesimo, h. e. quarto Abazi, rex factus, 2 Reg. 15, 30. coll. c. 15, 27. & 16, 1. noua ratione regnum obtinuerat anno Abazi duodecimo 2 Reg. 17, 1. & ideo etiam, quod suorum ad Ezechiam fluxum non impediuerit, minus malus predecessoribus suis fuisse dicitur, vt plures Hebræi & Christiani interpretes explicant illud 2 Reg. 17, 2. Abarb. Comment. ad h. l. fol. 290. b. Sapientes nostri tradunt, quod Hoses remouerit omnes illas custodias s. custodes (quos Iarobeam, Nebati filius, eum in sinem in liminibus collocauerat, ne Hierosolymam adirent, 1 Reg. 12, 26. 27. coll. c. 15, 17. vt qui vellet, pro lubitu adscendere Hierosolymam posset.

y) Nulla tamen regnandi libidine; sed communis religionis cura, ad quam & ipsi Israelitæ per legem DOMINI obstricti, eiusque officii sui monendi erant: כִּי לֹא לָרֵב עָשָׂו כְּכַתּוּב. 2 Par. 30, 5. Iosephus l. 9. c. 13. τὰντα δ' ἔλεγε παλαιῶν, ἐχ' ὅπως ὑπάρχων αὐτῶ εἰ μὴ θέλῃσι, τὴ δὲ ἐκείνων συμφέρειν ἕνεκα μακαρίως γὰρ ἴσασθαι. Ceterum Paschæ celebrationem alii demum ad annum Hiskie septimum, & sic inuitationem Israelitarum ad pauculas tantum X. tribuum reliquias referunt; sed nullo eius rei euidenti indicio in sacra historia, adeoque præter auctoritatem textus.

z) Argumentum & summa regiarum epistolarum ad Israelitas

elitas ex 2 Par. 30, 6-9. ita habet: *Reuertimini, o Israelitæ, ad Iehouam, Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi, ut & ipse reuertatur ad ereptos, qui vobis supersunt e manu regum Assyriorum. Et ne sitis sicut patres ac fratres vestri, qui perfide egerunt contra Iehouam, Deum patrum suorum: quamobrem eos etiam dedit stupende vastatos, sicut ipsi videtis. Nunc ergo ceruicem, ut patres vestri, ne induretis! date potius Iehouæ manus (victas & supplices, coll. Ier. 50, 15. Thren. 5, 6. 1 Par. 29, 24. ac fidem pollicentes 2 Reg. 10, 15.) & venite ad sanctuarium ipsius, quod ipse consecrauit in perpetuum: colite, inquam, Iehouam, Deum vestrum, ut feruida ipsius ira a vobis auertatur. Si enim conuersi ad DOMINVM fueritis, fratres ac filii vestri misericordiam consequentur apud illos, qui eos captiuos abduxerunt, & redibunt ipsi quoque in hanc terram: quia graciosus atque misericors est Iehoua DEVS vester, nec faciem suam a vobis auertet, si ad ipsum redieritis.*

a) *Transferunt enim cursores ex vrbe in urbem per terram Ephraimi & Manasse, & vsque ad Zebulonem; quorum quidem plerique eos deriserunt & subsamarunt, והיו משחוקים עליהם ומלעגים בהם: Multi tamen ex Ascheritis, Manassitis & Zabulotitis, item ex Ephraimitis ac Sissacharitis, humiliter monitis eius paruerunt, & Hierosolymam venerunt. 2 Par. 30, 11. 12. 18. vel, ut Iosephus l. c. dicit: εις ευσεβειαν μεταβαλλοντο, & ετω παλιν εις την αγραν θεουσιαν επανηλθον.*

b) *2 Par. 29, 35. 36. Sic rite constitutum fuit ministerium domus Iehouæ. Et letatus est Hiskias, & vniversus populus, quod DEVS (omnia vel animum) populo ita disposuisset: nam subito res facta erat. Cap. 30, 15. Sacerdotes enim & Leuite pudore tandem suffusi sunt, & sanctificauerunt se &c. Et c. 31, 20. 21. Sic Hiskias per totam Iudeam fecit; fecitque bonum ac rectum, & veritatem, coram Iehoua, Deo suo. Et in omni opere, quod incepit in ministerium domus Dei, & in lege ac preceptis (Dei obseruandis) ut quæreret Deum suum; in omnibus, inquam, ex toto animo suo fecit, & prospere egit.*

§. III.

Nihilominus tamen pius ille atque felix rex Hiskias non solum anno regni sui sexto decretorium illud & fatale tempus

pus vidit, quod *regno Israelitico X. tribuum*, iustissimo DEI iudicio, finem attulit, *c*) succedentibus in locum Israelitarum coloniis barbaris & idololatricis, quæ *Samaritarum* genti & religioni, per mixturam veri & falsi cultus, ab initio præsertim, corruptissimæ, originem dederunt 1 Reg. 17, 1. seqq. c. 18, 8-12. sed etiam sua a potentissimo Assyriorum Rege *d*) defectione, *e*) anno regni sui *decimo & quarto* terribilem illam *Sancheribi*, *f*) filii & successoris Salmanassar, expeditionem contra Syriam, Palæstinam & Aegyptum, aduersus se quoque concitauit, *g*) qua & grauisimam multam ei impoluit tyrannus, omniaque fere humanæ confidentiæ præsidia *h*) extorsit, & deditionem vrbis ac regni simpliciter imperauit, fidemque eius in DEVM grauisissime perrentauit; pietatem vero & egregie factam sacrorum reformationem, velut sacrilegam violationem *i*) per calumniam acerbissime ei exprobrauit, & apud imbecillos in fide, aut improbos Hiskia ciues *k*) eum in contemptum & odium, immo in summum discrimen adducere, omnibus modis, detorto etiam ipso verbo prophetico, admissus fuit. 2 Reg. 18, 19. 22. 25. 26. 27. 32. c. 19, 10-13. Ef. 36. 7. 2 Par. 32, 10. seqq. *l*)

*c*) Quum summa longanimitate, per plures, quam 250. annos, impios eorum mores & nefaria instituta tolerasset, frustra que eos ad sanio rem mentem & sacra, quæ ad fidem in Christum eos deducerent, per plures Prophetas, ad ipsum vsque reip. finem, reuocasset. Adhuc enim sub Hiskia regis initia in Israele florebant *Hoseas* & *Amos*; in Iudæa *Iesaias*, *Ioel* & *Michæas*: ne de *Odedo*, *Nahumo*, aliisque nunc dicamus.

*d*) Cuius in clientelam se ac regnum suum pater eius *Ahazus*, spreta diuina protectione, Ef. 7, 3. seqq. tradiderat, dicendo: *seruus & filius tuus ego sum*. 2 Reg. 16, 7.

*e*) Dum promissa a Patre tributa Assyrio negauit, 2 Reg. 18, 7. non admodum tempestiue aut circumspecte, si secundum humanas rationes hic iterum calculos subducere velis, coll. 2 Reg. 18, 9-12. 19. 24. Luc. 14, 31. 32. Licet alioqui causæ fatis graues essent, cur ab ista seruitute sese & regnum suum Hiskias in liber-

tatem vindicaret. Nam etſi pater eius aliquid tributum pro fe-  
rendo ſibi auxilio Aſſyriis promiferat: dudum tamen illius ex-  
peditionis ſumtus compenſati erant 2 Reg. 16, 7. ſeqq. 2 Par. 28,  
16. 20. nec alio titulo Hiſkias Aſſyrio obligatus fuit. Vnde de-  
fectionem Hiſkiae a peccato hic prorsus abſoluunt, & fiduciae e-  
ius in Deum eam inſolidum tranſcribunt Hebraei interpretes:  
ſicut etiam B. Lutherus t. 2. Ien. Lat. fol. 225. b. Nomini ſuo in-  
quit, *Hezekias*, rex Iuda, (*audacia DOMINI*) pulchro opere  
ſatiſfeciffe legitur 4 Reg. 18. dum auſus fuit in fiducia Dei ſui re-  
bellare regi Aſſyriorum. Ita *David Kimchi* ad 2 Reg. 18, 7.  
*Quoniam*, inquit, *pater eius Abazus Aſſyrio ſe mancipauerat, ideo*  
*textus dicit, Hiſkias aduerſus eum rebellauit, nec ſeruire illi volu-*  
*it: quia in ſolo DEO conſiſus fuit. Sic Abarb.* ad eundem locum:  
*Ex fiducia eius in Dei auxilium id factum eſt, vt aduerſus regem Aſ-*  
*ſyriorum rebellaret, nec ſeruus ei eſſet, ſicut pater eius fecerat. &*  
*miſſis nuntiis ei dixerat: עברך רבנך אני Hiſkias enim car-*  
*nem non poſuit brachium ſuum, h. e. fiduciam in homine non col-*  
*locauit. conf. 2 Par. 32, 8. Cauſam autem Aſſyriacae iſtius adſi-*  
*ctionis non in Hiſkia, ſed eiusdem ciuibus, Iudaeis, iidem quaer-*  
*endam eſſe putant. Ita Kimchi ad 2 Par. 32, 1. Poſt haec tenus re-*  
*cenſita acta & veritatem illam Hiſkiae & Iudaeorum, vt conuerte-*  
*rent ſe ad religionem & cultum Dei veri, venit tamen ſuper illos*  
*Sanherib* כִּי אַעֲפִי שְׁחֻקֵיהוּ הִיָּה לְבוֹ שְׁלָם בִּיהוּדָה הִיָּו רַבְרִים  
רַעִים וְלֹא הָיָה לְבַכְּם שְׁלָם עִם הַשֵּׁם כְּמוֹ שֶׁאָמַר יְשַׁעְיָה הַנְּבִיא  
: בְּחֻרְבָּה מְתוֹכַחֹת שֶׁאָמַר עֲלֵיהֶם:  
*Nam etſi Hiſkiae animus ſin-*  
*cerus erat; in Iuda tamen plura adhuc mala ſupererant, neque eo-*  
*rum omnium cor ſincrum erga DOMINUM fuit, ſicut Ieſaias prop-*  
*pheta in pluribus aduerſus eos correptionibus dixit. Sic etiam*  
*cenſet Abarbanel in Proph. priores fol. 294. d. coll.*  
*Eſ. 8, 6. ſeqq. c. 22, 15. ſeqq. Scilicet, vt Diſſert. de Ieſaia p. 18.*  
*dudum notauiſimus, maxima pars populi in Iudaea, ſub bonis et-*  
*iam regibus, qualis initio Vzzias erat, item Iotham & Hiſkias,*  
*coll. etiam 2 Reg. 21, 2. c. 23. 29. ſine vera tamen reſiſcentia &*  
*fide in cultu externo acquieſcebant; aut rebus florentibus elati,*  
*& humanis praefidiis freti, ſecuri in diem viuebant: adco-*  
*que diuinitus excitandi & caſtigandi erant. Quia tamen ipſe*  
*Hiſkias 2 Reg. 18, 14. & culpam agnoſcit, & rebellionem ſuae ſe-*  
*pec-*

peccasse fatetur, Assyrio etiam in satisfactionem, magnam & vndeunque, ex sacris quoque thesauris, conquistam, pecuniæ summam exsoluit v. 15. 16. satius omnino erit, in ista ipsius confessione acquiescere; nisi hac ipsa peccasse eum putemus. Bonus enim Rex (vt etiam postea, post liberatam urbem, & recuperatam vitam) rebus per diuinam gratiam domi forisque secundis, Philistæis etiam, qui patri Ahazo multa ademerant 2 Par. 28, 18. egregie (vt Propheta Ef. 14, 28-32. prædixerat) perdomitis 2 Reg. 18, 7. 8. ciuium quoque, ex Samaritana clade in Iudæam sine dubio se recipientium, numero auctus, mortuoque Salmanassare elatior animo factus, & cristis illis ex diuina permissione exuendus fuisse videtur: vt (quæ supra §. II. insignis eius laus fuerat,) posthac constanter & vnice in solo DOMINO gloriaretur Ier. 9, 22. 23. Quum vero imperatam pecuniæ summam fraudulenter acciperet, nec promissis tamen stare, aut contentus illa esset ferocissimus hostis; tunc *bona causa*, vt *Grotius* loquitur, ad *Hiskiam* transit; & hic integra in DEVM fiducia muros & arces Hierosolymorum reparauit, aliaque ad defensionem necessaria reddidit, procurauit, populumque ad validissimum Dei præsidium pie tandem remisit; sicut 2 Par. 32, 1-8. memoriæ proditum legitur.

f) Qui etiam *Sargon* dictus est Ef. 20, 1. coll. 2 Reg. 18, 7.

g) Vide 2 Reg. 18, 13. seqq. Ef. 36, 1. seqq. 2 Par. 32, 1. seqq.

h) Vt prædictum erat Ef. 8, 8. c. 10, 6. 7. c. 30. & 31. Hof. 8, 14.

e. 5, 5. 10. c. 12, 3.

i) Qua sibi potius iratum summum Numen reddiderit, impediens, quo minus DEVS pluribus in locis coleretur. *Kimchi* ad 2 Reg. 18, 22. q. d. *Quomodo queso DEVS istum iuuabit, qui ei omnia aduersa fecit, ita vt etiam destruxerit excelsa eius & aras, in quibus sacrificia Iehouæ obtulerunt?* Vide sis etiam *R. Leui ben Gersom & Abarb.* Comment. ad h. l. fol. 295. b. c. B. *Lutherus* ad Ef. 36, tomo 3. Ien. Lat. fol. 360. b. *Num confidis in Deum? At ille te odit. Sic nullum vsquam auxilium est posturum. Hæc proprie est Satanae lingua, & sunt non Rabfacis, sed ipsissimi diaboli verba, quibus non muros urbis, sed medullam Ezechiae, h. e. tenerrimam eius fidem oppugnat &c. - - q. d. Ezechias habet iratum Deum, qui non vult, nec potest eum iuuare; & si p. sset,*

non tamen vellet eum iuuare. Ezechias enim est pestis innocen-  
tis huius populi, & pugnat contra Deum suum, ac prouocat in se  
maiestatem. Hæc est extrema & summa fidei conflictatio, conf  
Pl. 3, 3. & 71, 10. 11.

k) Qualis in ipsa aula Hiskie paullo ante fuit, magister pa-  
latii, Schebna, Ef. 22, 15, seqq. De quo, ac cœtu eius, plura  
tradunt Rabbini, quæ hic non memoramus.

l) Lutherus l.c. fol. 361. a. Non vocat Ezechiam simplicem pec-  
catorem, furem aut adulterum, sed hostem Dei, & reum in summo  
gradu, blasphemum & contemptorem Dei. - - Sibi autem attri-  
buit sanctitatem, & diuinitus vocatum se dicit, tanquam flagellum.  
Ex his intelligitur, quidam Paulus sibi velit, quum dicit, igni-  
ta tela maligni Eph. 6. Idem ibid. fol. 364. a. Est hic perfecta rhe-  
torica, & omnes colores Satanae, quibus utitur, in summo gradu.  
Omnium minime fidem potest ferre, ideo grauissime eam impugnat:  
& multo grauius Ezechie cor oppugnatur, quam murus ciuitatis.  
Sic foris pugna, intus autem pavores fuerunt.

§. IV.

Quidquid vero infensissimus hostis vel minacibus ver-  
bis, vel infestis armis aduersum moliebatur, omne tamen ex  
diuina benignitate optimo Regi non, nisi in bonum Rom. 8,  
28. & in lætum fidei ac rerum suarum incrementum cedebat.  
Neque enim spem & ardentissimas preces m) serui sui DE-  
VS destituit, quum ab omni ope ille destitutus, & ad incitas  
pæne redactus videretur, 2 Reg. 18, 37. c. 19, 3. Ef. 37, 3. quin po-  
tius, vt prius 2 Reg. 18, 7. sic porro cum eo fuit, & ciues ipsius,  
(licet valde tum minis, tum promissis ad defectionem solli-  
citos) in obsequio & fide eius constanter retinuit, n) & No-  
minis sui gloriam ac maiestatem, qua se Hiskias vnice tutaba-  
tur, o) hostis autem, illa blasphemæ læsæ & contempta, iustis-  
simas pœnas promeritus erat, ita vindicauit p) vt centum &  
vicesaginta virorum millibus subito per vnam noctem in castris  
eius ab Angelo Domini q) extinctis, Sancheribus ignominio-  
se patrias terras repetere cogeretur, domi ab ipsis filiis suis r)  
haud



haud diu post, vt Iesaias prædixerat, horrendo Dei iudicio trucidandus, 2 Reg. 19, 7. 33-37. El. 37, 7-38. 2 Par. 32, 21.

m) In quibus fides erga Deum, humanæ potentiaæ contemptus, studiumque gloria diuinæ & salutis publicæ, magnopere elucescunt: quando Rex promissionum ac virtutum Dei recordatione sese firmat, pro salute ciuium suorum intercedit, & hoc solum expetit, vt Maiestas nominis diuini a contemtionem & ignominia vindicetur. 2 Reg. 19, 15-19. El. 37, 15-20.

n) Conticuerunt enim ad omnes sollicitationes & blasphemias Assyrii Oratoris, Hiskia ministri & populus, nec quidquam ei responderunt, sicut a Rege mandatum fuit 2 Reg. 18, 28-36. coll. 2 Par. 30, 12. c. 32, 3. In quo sane, dubium est, regisne, an populi exemplum sit illustrius. Credendum est etiam, ait *Io. Wolphius* ad 2 Reg. 18, 5. hac naturæ (immo gratiæ diuinæ) excellentia in omnibus Ezechia consilii, dictis, factis, moribus, elucete, populum omnem adductum esse, vt auita, cui iam adfueerat, superstitione relicta, religionem veram reciperet, vt huius iussibus atque legibus pareret, vt in tantis periculis, & deploratissimo Iudaicarum rerum statu, non modo non ab eo deficeret, verum etiam constantissime regnum salutemque eius tueretur.

o) Vide 2 Reg. 18, 30. 32. El. 36, 15, 18. c. 37, 10. 2 Par. 32, 1-6. coll. Prov. 18, 10. *Protegam, inquit DOMINVS* El. 37, 35. *verbera hanc Hierosol. ad eam seruandam, propter me & propter Dauidem, seruum meum.* Ad quæ verba optime *B. Lutherus* tomo 3. Ien. Lat. fol. 366. b. *Non propter merita vestra, sed propter me & promissiones meas, quas Dauidi feci. Allegat enim Dauidem, non sicut intercessorem, sed sicut habentem promissiones. Nam Dauid quoque fiducia misericordiæ diuinæ, non fiducia meritorum, Deo placuit.* conf. infra §. 6. not. b)

p) *R. Salomo* ad 2 Reg. 18, 31. *Zelus Domini, Dei exercituum, id faciet, qui pro nomine & gloria sua zelum exercebit, non propter merita vestra: multa enim impie egerat Ahazus.* Sic *R. Leui ben Gerson: DOMINVS* hoc faciet propter zelum suum aduersus blasphemias Regis Assyriorum; *etsi Israelitæ minime digni sint illo miraculo.* Sic etiam *Abarbanel* fol. 197. o.

q) Pestilentia vel ardentissima lue, coll. El. 10, 16. seqq. c. 33, 1. seqq. Hof. 1, 7.

r) Qui ad hoc facinus compulsi a Rabbiniſ dicuntur, quod pater, quum in periculo eſſet, voto ſe obſtrinxiffet illos immo-landi. Vide ſis *R. Sal, it, Kimchium, & Abarbanelis* comment. ad 2 Reg. 19, 37. qui ita habet: *Doctores noſtri tradunt, Sancheribum interrogaffe. Quenam pietas aut meritum Iudaicæ genti eſt, quod DEVS eorum ita pro illis pugnavit? & reſpondiſſe ſapientes ipſius: Abrahamus eorum progenitor, filium ſuum in holocauſtum Deo obtulit. Dixiſſe igitur illum: Ego etiam duos filiorum meorum ei offeram. Quod quum percepiſſent filii, eum interfecerunt, dum adhuc in domo Dei ſui adoraret. Atqui, vt optime B. Luth. l. c. dicit, non factò ſanctorum, ſed fides ſpectanda erat. Abuſi igitur ſunt factò Abrabæ.* Idem Lutherus ad Hoſ. c. 5. tomo 4. Lat. Ien. fol. 621. a. Ad verbum igitur reſpiciendum eſt, inquit, ſi certo iudicare vis, quinam vere curent ſ. quærant Deum, & qui contemnunt DEVM. Nam qui neglecto verbo iudicium volet fumere ab externa operum ſpecie, falletur. Quantum enim ſtudio religionis in Achab, in Manaſſe & ſimilibus ſit, videmus omnes. Nam ne liberis quidem parcunt, vt oſtendant, ſe Deo libenter velle rem gratam facere, & ei ſeruire. Sed qui hos cultus ad verbum confert, videt eſſe extremam idololatriam, æternis flammis dignam. Conf. ſupra ad §. i. not. d) p. 8.

§. V.

Tum vero Hiſkias ab omni illius metu ita ſolutus, ſpoliisque caſtrorum eius ditatus; mox etiam poſt liberatam urbem a conſcientiæ vulneribus s) & letali morbo Ef. 38, 1. ſeqq. t) intra triduum ſanatus, ac quindecim vitæ annis auctus 2 Reg. 20, 5. 6. inque fidei imbecillitate manifeſto prodigio u) a DOMINO confirmatus, felix deinde atque pacatum regnum habuit, omnibusque vicinis, & exteris quoque Babyloñis, admirationi fuit. x) In eo tamen infelix, quod, qui in aduerſis rebus, humili in DEVM fide & precibus Pf. 25, 15. contra terribilem hoſtium vim inuictus perſiſterat Pf. 125, 1. in rebus ſecundis, ex ſlebili naturæ humanæ corruptione Pf. 51, 7. *ὁ δὲ τὴν εὐπειρίαν ἀμαρτίαν,* ad ſecuritatem & neglectum officii ſui, de celebrando DOMINO

MINO, omnibus vitæ suæ diebus, Ef. 38, 15. opinione citius prolapsus fuit. 7) Cuius omiffa pietatis & ingrati animi documentum mox dedit ambitiofa ostentatione thefaurorum coram Babylonicis legatis 2 Reg. 20, 13-15. Ef. 39, 2. qua se & opera tantum sua fastuose iactauit, nihilque sollicitus de Dei gloria ac honore fuit: ad cuius tamen laudes prædicandas occasionem tunc satis opportunam, & materiam ampliffimam habuiffet. 2)

5) Quæ a superbia & securitate, ac parum grata in DEVM mente, vt Luthero vifum est, ei inflicta erant. Ita namque *Luth.* tomo 3. Ien. Lat. fol. 367. a. scribit: Sic omnes Christiani cruce premuntur, ne insurgant in superbia & securitate contra DEVM. Sic in hoc loco piiffimus rex Ezechias, egregie diffidentia tentatus, conualuit. Lætus igitur est, & sentit donum DEI, videt successum, *inflatur igitur*. Vt autem reuocet eum DEVS ab hac securitate, peste (tale enim morbi genus fuisse existimo) adfligit. Idem ad verba Hiskia: *Proiecit post tergum suum omnia peccata mea* Ef. 38, 17. ibid. fol. 369. a. Omnis, inquit, tentatio, corporis etiam, hanc habet miferiam adnexam, quod conscientiam sollicitat. Satan enim non est contentus adflixiffe corpus, sed etiam animam vult perditam. Quum igitur in malum aliquod incidimus, *conscientia id accipit tanquam penam peccati*, vt ira simul laborent anima & corpus. Corpus enim cum morbo, seu quodcunque tandem malum illud est, conflitatur. *Anima autem contra conscientiam, peccatum, mortem & infernum pugnat, quo nihil potest esse grauius &c.*

1) Cuius causam cum veteribus Rabbinis *Abarbanel* temere in poena cœlibatus Hiskia ponit. Sic enim ille Comment. ad 2 Reg. 20, 3. fol. 298. b. Simpliciter hoc dici puto, quod non dixerat Hiskias in precibus suis, *Memento quæso Domine, quod ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto*, vt superbiret aut efferret se meritis, seque ipsum iactaret; nec etiam, vt probaret, se non esse dignum, qui moreretur, quod esset vir integer & rectus, timens Deum & recedens a malo; *sed tantum defendit se a peccato sibi proprio, quod non obseruauerat diuinum illud mandatum* Gen. 1, 28. c. 9, 1. *de propagatione sobolis*,  
Mor-

Morbūm vero R. Sal. triduo ante cædem Assyriorum; *Lightfootus* autem & alii saltem ante liberatam urbem, Hiskia: accidisse, ex 2 Reg. 20, 6, colligunt, Vbi tamen nos cum B. Seb. *Schmidio* ad Efa. 38, 1. 6. seriem historiarū sacræ potius obseruandam putamus, & quod l. c. *de liberatione ab Assyrio* promittitur, de huius continuatione accipimus, q. d. DEVS: Faciam, vt in posterum etiam per quindecim annos, quos vitæ tuæ addidi, Assyrius te non adfligat aut bello petat. Quod & factum est: nam nec Sancherib, nec alius quis rex Assyriorum contra Hiskiam iterum adscendit.

u) In vmbra, per solem mirabiliter a Deo per decem ascensionēs s. gradus retroacta 2 Reg. 20, 8-11. Ef. 38, 7. 8. 22. Sirac. 48, 23. ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, vt tempore Iosua: c. 46, 4. Quod ipsis etiam Babylonii vel mox relatum, vel visu quoque obseruatum fuit. *Legatos enim miserunt* Rex & Principes Babylonis לָרֶשֶׁת הַמּוֹפֵת אֲשֶׁר הָיָה בְּכַרְךָ, *ad inquirendum portentum illud, quod factum erat in terra*, 2 Par. 32, 31. Viderunt nimirum Babylonii (vt B. *Calouius* ad 2 Reg. 20; 6. censet) diem solito prolixiorem; & quum famā percepissent, in gratiam Ezechia: factum esse miraculum, de illo inquirendum duxerunt, vt causam tanti miraculi indagarent. *Kimchi* ad 2 Reg. 20, 12 לָא הָיָה עֵקֶר שְׁלֵיחוֹתָיו עַל חִלּוֹ אֱלֹהִים עַל הַמּוֹפֵת שֶׁנַּעֲשָׂה לָךְ עַל הַיּוֹם וְכֵן הוּא בְּרַבְרֵי הַיּוֹמִים לָרֶשֶׁת הַמּוֹפֵת וְגוֹ *caussa legationis impulsiva ac præcipua, non morbus Hiskia: sed miraculum fuit, quod propter morbum ei contigit. Id quod indicant verba* 2 Par. 32, 31. *ad inquirendum portentum illud, quod factum erat in terra.* De strage in castris Sancheribi hoc portentum cum nonnullis aliis perperam accipit *Grotius* ad 2 Par. 32, 31. nec etiam opus fuisse, vniuersi cursum signi tantum causā immutari, ad 2 Reg. 20, 11. statuit. Acriter tamen dudum *Lutherus* tomo 3. len. fol. 366. a. Quum miracula fiunt, inquit, non intelliguntur, nisi a piis. Impii autem ea semper extenuant, & adfingunt, nescio quas causas naturales. Sicut astrologi solent, si quis icitur fulmine, nihil noui est, inquit; idem ante sæpe accidit. Quærunť circumstantias & causas, quibus adfirmant naturalem euentum esse, vt gloria miraculi obfuretur. Impius enim non debet videre gloriam Dei. Propter

pter hos stultos miraculorum extenuatores addit alterum signum. cer. Nempe solem a miraculi subiecto excludere non possumus, propter diserta verba textus El. 38, 8. et si de modo non facis constet.

x) Vide 2 Reg. 20, 12. El. 39, 1. & in primis 2 Par. 32, 22. Sic seruauit Iehoua Hiskiam & incolas Hierosolymorum e manu Sancheribi, regis Assyriorum, & e manu omnium hostium: & duxit eos a circuitu (h. e. undiquaque. e circumpositis locis, quo dispersi fuerant, eos reduxit.). Multique attulerunt munera Iehouae Hierosolymam, & res pretiosas Hiskiae regi Iudae: & sublimis post haec ille factus est in oculis omnium gentium. Porro secundum v. 27-30. Hiskiae diuitiae fuerunt & gloria s. opes multae valde: thesauros enim fecit sibi argenti & auri, & lapidum pretiosorum siue gemmarum, item aromatum & clypeorum omniumque vasorum desiderabilium s. pretiosorum. Penuaria etiam proventus frumenti, musti & olei fecit; item stabula unicuique pecudum generi, & greges in stabulis. Vrbes quoque sibi parauit, & greges minuti pecoris, atque boues, magna copia: DEVS enim facultates ei dedit longe plurimas &c. coll. 1 Tim. 4, 8. Abarbanel Comment. ad 2. Reg. 20. fol. 300. b. Quia Hiskias Deum timuit, & preceptis eius delectatus est valde (Pl. 112, 1.) ideo secundum iustitiam ipse Deus ei bona prestauit (2 Sam. 22, 21) tum spiritualia, quod anima eius in fasciculo vite ligata esset apud DEVM (1 Sam. 25, 29.) tum corporalia, quando pax & fides seruata fuit in diebus ipsius, eiusque posterum in regno successores fuerunt; ad comprobandum illud, quod Pl. 25, 13. dicitur: Anima eius, qui Dominum pie colit & timet v. 12.) in bono permanebit, & semen ipsius hereditate possidebit terram.

y) Non enim sicut DEVS impense gratiofus ei fuerat, ita ipse etiam gratum se DEO prestauit; sed iactantia sua DEI iram aduersus se et regnum suum prouocauit. ולא כנסת עליו השיב. יחוקיהו כי גבה לבו ויהי עליו קצף ועל יהודה וירושלם: 2 Par. 32, 25. Non imitatus in eo Dauidem fuit, quando hic tanto cum adfectu, Non nobis, D O M I N E, non nobis! sed nomini tuo da gloriam: propter gratiam tuam, propter veritatem tuam! Pl. 115, 1. exclamauit. Clericus ad 2 Reg. 20, 13. Vide-

xont

D

de-

detur, inquit, Hezekias opes suas Babyloniorum regum legatis ostentasse, vt intelligerent, se dignum esse, cum quo Babyloniorum reges amicitiam & foedus inirent, vt se contra Assyrios, communes hostes, tuerentur. Qua in re deliquit Hezekias: quippe qui nec in opibus suis, nec in foedere cum Babyloniorum rege, sed in solo DEO, a quo tanta beneficia nuper acceperat, fiduciam omnem ponere debuit. Confer Esa. 8, 11. 12. 13. &c.

2) *Abarbanel ad 2 Reg. 20, 17. fol. 299. c. Quoniam Babylonii legati ideo venerant, vt prodigium illud indagarent, equum omnino erat, vt Hiskias illis enarraret opus illud Domini, quia tremendum erat, (Ps. 66, 3.) & vt beneficia Dei illis commemoraret, & laudes DOMINI &c. (Ez. 63, 7.)* Omnino sic est, ab Hezekia hic non esse tributam gloriam DEO ob miraculum tam insignem, conualescentiamque cum eo coniunctam; quæ debebant ita hominibus idololatriæ narrari, vt eos ad cognitionem veri Dei adducere possent. *Lutherus tom. 3. len. Lat. fol. 369. b. ad Esa. 39.* Hæc, inquit, historia longius describitur *contra horrendum monstrum presumptionis.* Primo per obsidionem & bellum, deinde per grauem morbum Ezechiam seruauerat DEVS, ne in præsumptionem laberetur. Nondum tamen vinci potuit antiquus serpens, sed redit & leuat caput suum. A deo non possumus consistere, nisi nos DEVS adfligat. Vides igitur hic, *quis sit adflictionum vsus*, vt mortificent videlicet carnem, quæ non potest secundas res ferre. Ezechia enim fidem, quam tantus exercitus vincere non potuit, legati ab amico rege missi, subuertunt. Non igitur tantum periculi nobis est ab inimicis, quantum ab amicis, Illi enim, quum in os nos laudant ac colunt, inflant ac superbos reddunt. *Sic bonus Rex hic describitur superbia elatus, ingratus & immemor sanctorum beneficiorum DEI.* Idem fol. 370. a. Esti autem adpareat leue peccatum esse, admittere legatos regios, & iis ostendere opes & potentiam suam; tamen satis *adparet ex pœna, fuisse peccatum longe maximum*, quod in naturæ vastationem totius regni.

§. VI.

Monitus tamen & correptus, diuino iussu, ab *Esaia propheta*, & de futuris regni sui fati edoctus, 2 Reg. 20, 16 17.

MOX

mox respuit; humilique pœnitentia *a*) & vera in CHRISTVM *b*) fide veniam delictorum a Deo consecutus, tandem anno ætatis suæ 54. vel 55. beatum mortalis vitæ finem fecit: exemplum vt pii & optimi Principis, ita etiam humanæ infirmitatis omnibus relinquens, ex quo clarissime constet, quam mirabiliter diuina fortitudo in nostra imbecillitate perficiatur, 2 Cor. 12, 9. & quam e contrario miser ac lapsui facillime obnoxius homo sit sibi indulgens, & sibi a DEO relictus, coll. 2 Par. 32, 31. 1 Cor. 10, 12. adeoque quam necessarium semper nobis sit, vt, repurgatis etiam publicis sacerdotibus, nos ipsos quoque purgemus ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore DOMINI, 2 Cor. 7, 1. coll. Psal. 2, 11. Phil. 2, 12. &c.

*a*) Quo merito cum R. Salomone ad 2 Par. 32, 36. aliisque, verba Hiskia, alioqui *דוֹוֹנָתָא*, referimus; *Bonum est verbum DOMINI, quod (tu Iesaja) dixisti. Dixit enim porro Hiskias secundum Esa. 39, 8. quia erit, (vel sec. 2 Reg. 20, 19. annon? si erit) pax & veritas s. fides in diebus meis.* Sunt enim illa verba sese humiliantis: in quibus, vt B. Schmidius recte ad l. c. Iesaja obseruat, ille 1) *iustitiam diuinam*, quod iustus in comminatione sua sit DEVS, agnoscit, & 2) *misericordiam* eius celebrat; q. d. Non iustum tantum, sed & benignum est Dei iudicium, grauiora enim meritis essem. *Verba sunt*, inquit etiam *Estis* ad Esa. 39, 8. *voluntatem suam subiicientis Dei voluntati, & iustitiam eius probantis.* Hanc vero Hiskiaesignationem sui ipsius in voluntatem Dei, coniunctam fuisse, non tantum cum priuata ipsius Hiskiaepœnitentia, sed etiam publica totius populi, docet 2 Par. 32 26. ויכנע יחזקיהו בגבה לבו הוא ויושבי ירושלם ולא בא עליהם קצף יהוה בימי יחזקיהו: Et historia testatur, ultra centum annos a morte Hiskiaexcurrisse prius, quam Hierosolyma a Babylonis excinderetur.

*b*) Ad quem & mente respexit, quum sese deuotionis causa *ad parietem* regiaedomus, vel sec. Targum *ad parietem sanguinis* in precibus suis *conuertit*, 2 Reg. 20, 2. coll. Esa. 37, 16. c.

38. 4. 17. Iob. 17. 3. c. 33. 23. 24. &c. & supra ad §. II. not. o) Immo  
 ti, quod 2 Reg. 18. 7. legimus, *Ieboua cum Hiskia fuit*; creden-  
 dum etiam est, Hiskiam quoque defixa & intenta in *Messiam*  
 siue Esaiæ verbis promissum ac prædicatum *Immanuelem* Es. 7.  
 14. c. 8. 8. 10 fide fuisse, quo solo nobis DEVS reconciliatur,  
 coll. Iob. 17. 3. &c. Est enim *CHRISTVS* ille *DAVID* s. *Daui-*  
*dis filius* Matth. 1. 1. c. 9. 27. cer. & antitypus (a Iudæis in tractatu  
 Sanhedrin c. XI. fol. 98. b. *Dauid secundus* vocatus, & a primo  
 adumbratus,) ideoque *Dauidis nomine sæpius a prophetis adpel-*  
*latus*, e. c. Esa. 55. 3. Ier. 30. 9. Ezech. 34. 23. 24. c. 37. 25. Hof. 3. 5.  
 Pl. 8. 1. & 132. 10, in quo omnes *Dei promissiones*, etiam *Dauidi*,  
 2 Sam. 7. 12. 14. & posteris eius, e. c. 1 Reg. 11. 12. 13. 32. factæ *næ &*  
*amenfant* 2 Cor. 1. 20. coll. 1 Reg. 8. 25. 26. Vnde etiam necessario  
 verba DEI ad Hiskiam 2 Reg. 19. 34. &c. 25. 6. non, nisi *cum re-*  
*spectu ad Messiam* accipienda nobis sunt, & credendum, quod  
 propter illum DEVS nobis placari possit, & nos exaudiat.

CAPVT II. DIDACTICO-PRACTICVM.

*Observationes nonnullas & porismata ex dictis superiore  
 capite exhibens.*

**H**actenus ex historia pientissimi Regis Hiskiaë adducta sunt,  
 quæ ad præsens institutum præ ceteris pertinere vide-  
 bantur. Restat, vt, quod supra promissimus, breuiter nunc etiam  
 ostendamus, quomodo, quæ dicta illic sunt, ad vsum cum in  
 vita Christiana, tum in doctrina euangelica, adplicari possint:  
 quamuis subinde quoque in præcedentibus nonnulla de his in-  
 nuimus. Quia enim, vt Apostolus Rom. 15. 4. dicit: *Quæ-*  
*cumque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam sunt scripta*, trans-  
 ferenda omnino ad vsum hæctenus disputata sunt, & fides in-  
 primis, quam sacræ historiæ ostendunt, imitanda nobis ve-  
 nit, *vt per patientiam & consolationem scripturarum spem*  
*habeamus*. Etsi vero ex ista reformationis historia deduci quo-  
 que, et adhibitis aliorum scripturæ locorum testimoniis osten-  
 di potuisset, quis sit, vel esse debeat *reformationis auctor*, vnus  
 scil. & summus DEVS, Pater, Filius & spiritus S. sine cuius  
 lumine & ope qui circa sacra quid agunt, nequidquam in me-  
 lius



lius, sed in deterius omnia vertunt; porro de reformationis *subiecto, instrumentis, norma, effectibus, usu, indole ac necessitate*, & quomodo in reformatione, quæ duobus abhinc seculis diuino beneficio nostræ ecclesiæ contigit, hæc notanda & obseruanda sint: lubens tamen, & ex instituto illud nunc non ago, postquam ab initio nascentis huius Academiae grauius & copiose de his omnibus dixit Vir multis nominibus & ex animo nobis summopere Venerandus, *Dn. D. IOACH. IVSTVS BREITHAVPT, Abbas Bergensis, & Ordinis nostri Theologici Senior Grauissimus.* cet. in *Oratione auspicali de Reformationis Euangelicæ natura & indole*: vbi hæc perspicue & diferte exposita recognosci possunt. Breuiter hic tantum & in genere statim monemus, luculentissimo Hiskiae exemplo Paulinum illud oraculum egregie confirmari *1 Tim. 4. 8. ἡ εὐσεβεία πρὸς πάντα ἀφελιμὸς ἐστίν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης.* Vti e contrario impietas in DEVM & regna euertit, & Ecclesias pessumdedit: non Ahazi tantum, sed totius Scripturæ S. & omnium temporum historia id abunde comprobante. Ceterum, quæ dicenda nunc restant, secundum præcedentium paragraphorum ordinem digeremus: nec omnia, quæ dici poterant, sed pauca solum, ab ipso etiam *Luthero* magna ex parte obseruata, proferemus.

Ad §. I.

1. Non imitanda sunt nobis Maiorum, nec etiam Parentum impia facta; sed semper ad Deum eiusque verbum respiciendum est: sicut Hiskias, quum impium admodum patrem habuisset, eius tamen exemplo non est deprauatus, sed mox ab initio regni sui fecit, quod rectum erat in oculis DOMINI, & ad verum DEI cultum restituendum animum adiecit.

2. Optimo cuique enitendum quam maxime in hoc est, vt quæ perperam a maioribus facta videt, ea studeat virtutibus & benefactis emendare.

3. Caueant autem omnes, præsertim principes & nobiles viri, ne sint degeneres; nec inferiores saltem sint virtute ac pietate maioribus, si superare eosdem nequeant. Ita a laudabili patris Iothami exemplo Ahazus prorsus defecit; hunc vero

Hiskias filius virtute ac pietate sua in DEVM longissime superavit.

4. Vt communi bono nihil salutarius contingere potest, quam Princeps bonus ac pius; ita e contrario maximum in Christiana ciuitate malum est Princeps malus & impius, qui peccatis suis non solum reipublicæ, sed etiam plus exemplo suo ecclesiæ nocet. Igitur, quod Apostolus iubet 1 Tim. 2. 2. 3. *ὑπὲρ βασιλείων ἔ, πάντων τῶν ἐν ὑποταξῇ ὄντων* ad sidue rogandus est DEVS; & qui id negligunt, non minimam officii sui partem omitunt, atque in rempublicam & Ecclesiam grauius ipsi peccant.

5. Supremus νομοθέτης sine dubio DEVS est, cuius legibus ac voluntati non tantum ciues, sed etiam Reges ac Principes Christiani subiecti sunt. Vt ergo aduersus Principes imperium nulla ciuibus a Deo concessa est resistendi potestas Rom 13, 1-7. 1 Pet. 2, 13-15. ita vicissim Princeps aut magistratus aduersus expressam Dei voluntatem & verbum, nec statuere quidquam iure potest, nec a ciuibus tale quid exigere debet. *Παράστασις γὰρ τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ἡ ἀντιθέσις, Ἀκτ. 5, 29.*

6. Recte *Confessores* nostri Artic. VI. abuf. de votis monachorum p. 36. dicunt: *Perfectio Christiana est, serio timere DEVM, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum: petere a Deo, & certo expectare auxilium in omnibus rebus, gerendis iuxta vocationem; interim seris diligenter facere bona opera & seruire vocationi. In his rebus est vera perfectio & verus cultus Dei; non autem in calibatu aut mendicitate, aut veste sordida. ceter.* Hæc enim omnia exemplo Hiskie probata sunt, coll. not. b) p. 5.

7. Vitæ tamen suæ, ex diuina gratia & secundum Verbum DEI bene transactæ, conscientiam Hiskias 2 Reg 20, 3. non commemorauit vt *meritum*, coll. 1 Reg 8, 46. Luc. 17, 9. 10. sed vt sinceritatis & veræ fidei suæ documentum, & vt gratiæ inhabitantis testimonium, coll. Ef. 38, 3. 14. Pl. 32, 2. Iob. 27, 6. Rom. 8, 15, 16. 1 Ioh. 3, 21. Ad ipsam enim perfectionem Christianam pertinet etiam imperfectionis cognitio, coll. Phil. 3, 12-15. ceter. & inferius ad §. VI. notandis.

8. Exemplo est Hiskias, eos, qui suam DEO operam nauant,

uant, etiam in periculis & negotiis maximis mirabiliter conferuari & corroborari; eaque de causa nulla tam magna sunt pericula, nec vlli tanti labores, quorum horrore & metu nos ab iis rebus suscipiendis auocari patiamur, ad quas diuinitus vocatos nos esse sentimus. Quin potius Hiskia exemplum omnes homines, in primis principes viri, sibi ad imitationem propositum meminerint: quo & ipsi, licet periculosa & difficilia sint tempora, a pietatis tamen & verae religionis tramite ne latum quidem vnguem se deduci patiantur.

9. Supremos etiam Ecclesiae DEI gubernatores, errare potuisse, ac saepius errasse actum, liquet *exemplo primi sacerdotis summi, Aarons*, qui in detestabilem idolomaniam prolapsus est, prostituens adorandum fufilem vitulum in deserto. Adparet idem *exemplo summi Pontificis Vriae*, qui manifestissimam idololatriam, in gratiam Ahazi regis, adprobauit, instituit, & a populo exerceri fecit. Verba sunt B. Aeg. Hunii de Ecclesia p. m. 59. Conf. B. Seb. Schmidii Colleg. Bibl. I. p. 333-339.

Ad §. II.

1. Principum omnis laudabilis actionis piorum est fides dei *αἰγάριος ἐνεργουμένη* (Gal. 5, 6.) DEVM & seruatorem suum vnice respiciens, nec in se aliisque hominibus, aut meritis eorum confidens.

2. Praelare igitur A. C. *Apologia* p. 68. *Hec igitur, inquit, fides specialis, qua credit vnus quisque sibi remitti peccata propter Christum, & DEVM placatum & propitium esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, & iustificat nos: & quia in penitentia, h. e. in terroribus consolatur & erigit corda, regenerat nos, & adfert Spiritum S. vt deinde legem DEI facere possumus, videlicet diligere DEVM, vere timere DEVM, vere statuere quod DEVS exaudiat, obedire DEO in omnibus adfectionibus; mortificare concupiscentiam, cet.* Patent haec omnia ad Hiskiam applicata: huius enim in DEVM fides & fiducia non otiosa notitia fuit, sed res accipiens Spiritum S. ipsumque iustificans, a morte liberans, & nouos in corde motus ac vitam pariens, optimosque fructus ferens, Act. 15, 9.

3. Etsi multa sunt cum publica, tum priuata negotia, in quibus

bus cunctando restitui res possunt; in religionis tamen aut vitæ emendandæ studio, & in pacis cum Deo ineundæ negotio, omnismora aut segnitie perniciofa & longa est, coll. Pf. 95, 7. 8. Gal. 1, 16.

4. Princeps Christianus, ad Hiskia exemplum, de iure diuino etiam pro æterna ciuium salute sollicitus esse tenetur. Id quod optime Principes & Ordines Euangelici sub finem præfationis ad librum Concordiæ his verbis profitentur: *Huc accedit & illud quod pro officii, a Deo nobis iniuncti ratione hoc nos subditis nostris debere intelligimus: ut, quæ ad huius & secuturæ vitæ rationes pertinent, diligenter curemus, ac demus operam, ut quæ ad amplificationem nominis ac gloriæ DEI, propagationem verbi ipsius, ex quo solo salus speratur, ad pacem & tranquillitatem ecclesiarum & scholarum, & commonesactiones & consolationem perturbatarum conscientiarum faciunt, summo studio, & quidem, quantum fieri potest, procuremus.* Conf. 1. Tim. 2, 3. 4.

5. Ius reformandi Principi Christiano omnino competit; ut non solum Hiskia, aliorumque regum Iudaicorum, sed etiam primorum Christianorum principum exempla probant; secus quam postea orbi persuadere ausi sunt Romani Pontifices. Nec tamen ad suum tantum placitum, aut proprium commodum, sed ad verbi diuini normam ac regulam sollicitè respiciendum hic principi est, nisi in sacro negotio gravissime impingere velit, coll. 1 Reg. 18, 3. 6. c. 22, 2. 13. seqq. 8, 20. Neh. 8, 1. Gal. 6, 16. &c. Exemplo in vtramque partem sint ex vna Hiskias & Iosias, ex altera Iarobeam & Ahazus: hi damnatæ in scripturis, illi laudatissimæ memoriæ reformatores.

6. Duo igitur extrema cauenda Principi aut magistratu sunt: 1) ne curam vere religionis a se alienam existimet; nec tamen 2) aliis, quam legitimis modis ac mediis, omnia peragat. Ut enim sub V. T. Rex & princeps ad legem & testimonium verbi diuini accurate obseruandum obstrictus erat, Deut. 17, 18-20. Ios. 1, 8. ita sub Nouo Test. alia ratione populo veram religionem imponere nequit, quam quæ cum luculenta doctrina & praxi Christi, & eius Apostolorum, conuenit: quorum modus conuertendi homines nequaquam in vi coactiua consistebat, coll. Matth. 26, 53. Luc. 14, 23. cet. sed in efficacia doctrinæ, ἐν ἀποδείξει πνεύματι & δυνάμει, coll. Matth. 7, 28. 1 Cor. 2, 4. 2 Cor. 10, 4. 7. Tam-

7. Tametsi Ahazi tempore non deerant veritatis præcones & testes, quod vel Iesaiæ, Hoseæ, Ioelis, Amosi & Michæ scriptis vaticiniis constat; ad publicam tamen & manifestam sacrorum emendationem res perducta non fuit, donec DEVS ipse Spiritu suo bonum principem excitavit. *Nec enim legitur vllum exemplum, ubi vulgus sine duce vel magistratu, sive ordinario, sive a Deo dato, imagines sustulerit, ut in Gedeone, Ezechia, Iosia, Iehu, cernere licet, ut B. Lutherus obseruat tomo 3 Ien. Lat. fol. 96. b.* Et vt Ioannes Wolphius in Comment. ad 2 Reg. 18, fol. 352. a. scribit: *Quemadmodum priuatis hominibus, vt hec agant, pius ac sapiens auctor est nemo; sic magistratibus, vt in harum rerum curam ac cogitationem incumbant, sapientissimus & optimus quisque maxime suaserit.*

8. Sicut regii officii pars est, efficere, vt DEO dicata recte adminiftrantur; ita eiusdem curæ est, in honorem Dei & verbi diuini propagationem, partem sumtuum de redbitus suis impendere, & exemplo non minus, quam verbo, hæc populum iubere; vt vtrumque recte fecit Hiskias, coll. 2 Par. 30, 23 - 26. c. 31, 3. 8. 13.

9. Reges & principes Iudæorum omnino etiam in sacerdotes auctoritatem & potestatem habuerunt, quod passim sacra historia docet, e. c. 1 Reg. 2, 26 27. cet. & friuola sunt, quæ etiam *Eftius* aduersum illud *המלך כסצות* secundum *mandatum Regis* 2. Par. 29, 15, in adnotationibus suis confingit. Non tamen absolutam, sed diuinæ voluntati subordinatam potestatem & auctoritatem Principi vindicamus; nec impiæ tyrannidi patrocinamur, aut Saulis crudelitatem 1 Sam. 22, 17. seqq. vel Ioasi impietatem 2 Par. 24, 21. 22. vilo modo defendendam putamus.

10. Quidquid a DEI verbo, & a Seruatore Christo homines abducit, illud in diuino cultu tolerandum non est. *Sic serpeniem æneum, propter fidei memoriam reseruatam, quum postea populus errans, tanquam idolum colere cõpisset, Ezechias rex, religiofa potestate Deo seruiens, cum magna pietatis laude contriuit; vt verba habent B. Augustini de Civ. Dei I, 10. c. 8.*

11. Ac notabile illud quam maxime est, & in primis obseruari meretur, quod tanti miraculi monumentum Num. 21, 8. 9. immo Christi typum. Ioh. 3, 14. 15. deprehenso impio eius abu-

fi, Hiskias tamen de medio sustulit, Scriptura quoque illud tanquam egregium factum, laudante. Quod evidens nobis argumentum est non solum aduersus *impium imaginum cultum*, sed etiam sacrarum *reliquiarum abusum*. Quis enim negauerit (inquit B. Seb. Schmidius in adnot. ad 2. Reg. 18, 14.) *maiori iure inter reliquias referri hunc serpentem, quam caligas Iosephi?* &c.

12. *Deus Israelis, Pater, Filius & Spiritus S. solus est Deus uiuus, & huius vniuersi conditor ac Dominus, adeoque ad Hiskiae exemplum solus a nobis in omnibus necessitatibus inuocandus; 2. Reg. 19, 15-21. Vnde grauissimi erroris rei sunt, qui contra expressum Dei verbum non solum Angelos, & homines sanctos, sed inanes etiam statuas aut imagines, quæ opera manus humane sunt, & in se diuinitatis nihil habent; thure & precibus venerantur, coll. Exod. 20, 2-5. Deut. 4, 15. seqq. c. 5, 6. 9. Esa. 42, 8. c. 43. 10. 12. c. 44. 6. 8. seqq. c. 48, 11. Ier. 10, 11. &c.*

13. *Sed dicat quis, (inquit Lutherus tom. 3. Ien. lat. fol. 365. a.) Arcam & Cherubim 2. Reg. 19, 15 etiam fuisse opera hominum. Diligenter igitur tenendum discrimen est, quid inter hæc, & aliorum idola, intersit. Arcam enim & Cherubim etiam gentes potuerunt facere; sed quia nullum mandatum Dei peculiare ea de re habent, impius fuisset cultus. Verum DEVS per verbum huic Arcæ & Cherubim se alligauit, & in Exodo c. 20, 21. dicit: Vbiunque EGO memoriam nominis mei fecero, (Non dicit, in quo loco TV feceris, sed EGO;) huc tu uenias, ibi certo me inuenies &c. Hæc promissio, hoc verbum discernit inter opus & opus.*

14. *Si aeneus serpens, iussu Domini a Mose in deserto factus & erectus, idcirco iustissime ab Ezechia sublatu & confractus est, quod populus abuti eo ad idololatriam cepit, & adolere ei incensum, quod est signum diuini honoris, ut ex Pontificiis Guil. Fflus in adnotat. ad 2. Reg. 18. 4. fatetur, cur ergo superstitiosi homines non solum preces & iustitiam imaginibus faciunt, sed etiam ad flammam usque & ignes pro illarum imaginum adoratione pugnant, quas ipsi sine diuino iussu fecerunt? Character est eorum, de quibus S. Apocalypsis c. 9, 20. 21. vaticinatur.*

15. *Ac per hoc (Hiskiae exemplum) magna aueritas ista est habenda in Ecclesia, ut si nonnulli ex prædecessoribus & maioribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea*

postea vertuntur in errorem & superstitionem, sine tarditate aliqua, & cum magna auctoritate a posteris destruantur. Quæ verba sunt ipsius *Grariani ad Stephani Papæ* c. 28. Quia sancta. d. LXIII.

16. Quemadmodum nulla datur corruptela Christianæ religionis, aut doctrinæ, quæ non pugnet cum Scriptura S. eiusque vera sententia: ita ad præcauendos omnis generis errores nihil magis conducit aut necessarium est, quam vt genuinus Scripturæ S. sensus omnibus, quantum fieri potest, innotescat. Secus quam doctrina & praxis est Pontificiorum.

17. Non succensere Principibus, aut magistratibus vel aliis refragari debent sacrorum antistites, si de officii sui ratione ab illis admonentur, sed potius pudore suffundi & emendari: nec ægre ferre decet superiores, si ab inferioribus virtute superentur, sed horum diligentiam illos tum imitari conuenit. *Sic sacerdotes & Leuitæ* ab Hiskia moniti pudore suffusi sunt, & sese sanctificauerunt 2. Par. 30, 15. & *Leuitæ superiores sacerdotes diligentia & probitate superauerunt*, 2. Par. 29 34.\*

\* Profus ad hunc scopum facit textus *Hosæ* c. II, 2 (*Hosæ* inquam, qui tempore Hiskia nostri prophetauit) Venerando Collegæ *D. PAVLO ANTONIO* olim *A. C.* 1690. ad inaugurale argumentum a Summe Rev. Facultate Theol. Lipsiensi præscriptus, nostraque pariter methodo ab Eo tractatus. Quæ ipsa dissertatio de *Auctoritate Ecclesiæ, qua mater est*, inscripta, paucis abhinc annis iterum Halæ excusa fuit.

18. Extimescendæ & expectandæ nobis illorum poenæ sunt, quorum peccata admittimus. Hic enim neruus est regni ad Israelitas epistolæ 2 Par. 30, 7.

19. Labores fidelium in Domino suscepti non sunt inanes, sed aliquo saltem successu a Domino beantur, coll. *Pl.* 1, 3. 1. *Cor.* 15, 58.

Ad §. III.

1. Incredibili fit Dei clementia ac bonitate, vt electis suis ipsorum peccata etiam quodammodo sint saluti, quando DEVS ex his occasiones elicit ipsis in bonum. Sic quod ab Hiskia in rebellionem aduersus Assyrium peccatum erat, ex diuina tantum prouidentia ac bonitate magnum ei fidei & spiritualis experientia incrementum attulit, minimeque exitio fuit.

2. Non est, vt quisquam putet, qui Christi fidem sequitur, se sine tentationibus victurum esse. Verum enim est illud Pauli

2 Tim. 3, 12. *omnes, qui pie viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

*Scilicet ut purum spectatur in ignibus aurum:*

*Tempore sic duro est sana probanda fides. 1 Pet. 1, 6. 7.*

3. DEVS, vbi liberare suos vult, causam etiam honestam illis praestat, vt bene obseruauit *Grosius* ad 2 Reg 18. cf. p. 19. not. e) Sic etiam *Lutherus*, cum suis a Romano Pontifice per tyrannidem excommunicatus, schisma non fecit, sed iniustam segregationem passus fuit, coll. Ef. 66, 5. Ioh. 16, 2.

4. Est hoc in more positum apud hostes veritatis, vt honoris & commodi priuati studium, aut imposturam etiam, pietatis doctoribus obiciant, quo ipsos multitudini inuisos, & causam eorum suspectam reddant. Sic *Assyrius Hiskiam* pingit velut impostorem, a quo maximopere Iudaeis sit cauendum: qui cultum Dei religiosum, a maioribus non sine ratione traditum, passim in Iudaea abrogauerit, & ad vnum altare Hierosolymitanum temere alligauerit; adeoque non reformatorem egerit ecclesiae, sed deformatorem. cf. 2 Cor. 6, 8. *ὡς πλάτοι, ἔ ἀληθεύς.*

5. Non ergo mirum est, atrocissimis aduersariorum calumniis proscindi, optime & secundum verbum Dei a B. *Luthero* ac piis Maioribus susceptam sacrorum emendationem: Sic enim *Assyrius* quoque in *Hiskia* maximopere reprehendit, quod in primis in eo laudandum erat, 2 Reg. 18, 22. Conf. B. *Spenerus* ad preces Danielis p. 247, & 441. seq. item Parte X. ferm. funebr. p. 122.

6. In controuersis de fidei & religionis veritate non standum est sententia multitudinis, sed diuinis tantum oraculis Gal. 6, 16. alioquin *Hiskias* non solum pluribus impiorum in ecclesia suffragiis, sed ipsorum etiam ecclesiae hostium iudicio, violator sacrorum fuisset.

7. Vnicum instrumentum, quo salutem adprehendimus, est fides: ideoque tantopere eam oppugnat *Satanas*, quod fide erepta salus etiam nobis erepta sit. cf. supra p. 19. not. i) & Eph. 6, 16, & c.

8. Nihil tam bene fit aut dicitur, quod dicendo non possit depruari. Sic B. *Luth.* tomo 3. Ien. Lat. fol. 360. b. *Obserua hic, inquit, calumniandi artes, quod optimum Ezechiae opus detorquet*  
ad



ad summam impietatem; q. d. *Grauius a te peccatum est, quod demolitus es excelsa, & subuertisti altaria. Num enim ita stolidos homines esse existimas, ut adorent lapides aut ligna? Deum verum isti coluerunt omnes. Eius cultum igitur sustulisti. Est admodum grauis tentatio, qua Satan fidem oppugnat, ut dubitare de suo facto incipiat. Id quum fit, actum est.*

9. *Neque autem est, ut putemus, his Satanicis calumniis vnum Ezechiam petiitum esse. Quot enim existimas hodie, quum sine verbo sunt, tentari nonnunquam de desertis monasteriis, abiectis Missis, & aliis Papatus abominationibus intermissis. Quare necesse est, cor da verbo Dei bene munita esse, ut vicissim Satane obiciant summam blasphemiam & impietatem, quam Papatus statuit, quod mors & meritum Christi prorsus tollitur, & tribuitur sordido cucullo, aliisque operibus, quae sine mandato Dei suscepta sunt. Idem l. c.*

10. *Quemadmodum DEVS olim, regnante Hiskia, populum non ob deiectum serpentem æneum & amota excelsa, bello Assyrio adflixit; verum ob peccata alia, impœnitentiam, ingratam mentem, & securitatem, positamque in Aegyptiis fiduciam, coll. Esa. 20. 30. & 31. sic etiam Euangelicis ecclesiis DEVS non ob desertum Papam & profligatam superstitionem, sed ob alia scelera, in primis securitatem & impietatem, irascitur. Cf. B. Henr. Hæpferi Saxoniam Euangelicam p. 274. & 286. edit. Lipf. 1662.*

11. *Non est hic verus reformationis vsus, qui in externa sacrorum emendatione subsistit; sed radix ipsa malorum, incredulitas & inobedientia cordis, indeque pullulans securitas, hypocrisis, iniustitia, & pertinax superbia, expurganda sunt.*

12. *Historiæ fidelium ad fidem augendam & confirmandam ingens momentum adferunt. Hæc, inquit Lutherus, tomo 3. fol. 364 b. ad confirmandos nos scripta sunt, ut discamus, in summam desperationem nos prius adducendos esse, quam sentiamus auxilium DEI. Hæc est vera mortificatio, in qua occumbunt omnia humana consilia & præsidia. Sola fides, quamuis ægre, non succumbit: & quanto magis desperata sunt omnia, tanto pertinacius sperat, donec vincat.*

Ad §. IV.

1. Quod Apostolus de fidei perseverantia prædicat Heb. II. *Ἔστι δὲ πίστις ἐπιζομένην ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος ἢ βλεπομένων*, ex Hiskia quoque exemplo patet. *Hæc enim* (dicente *Luthero* tomo 3. Ien. Lat. fol. 365. b.) *natura fidei est; ut simpliciter omnes sensus exuat, & in nudum verbum se reiiciat. Alia enim res obuersatur oculis, & aliud audiunt aures. Si res consideres, omnia diuersa sunt a verbo. Fides igitur est certitudo certissima, que adprehendit verbum, & in verbo hæret, non considerata externa facie rerum -- Creduntur enim ea, que non sunt; & postquam credita fuerint, certo implentur.* cf. Luc. I, 45.
2. Magna fidei Ezechie laus est, quod manet simpliciter in loco, religione, & cultu diuinitus instituto, & currit ad propitiatorium (2 Reg. 19, I. 14. 15. Es. 37, I. 14. coll. c. 56, 7.) non considerans magnitudinem aliorum deorum, aut infirmitatem Dei sui (ab hostibus obiectam.) Idem nobis faciendum est, qui sumus in N. T. ut quemadmodum Iudei templo alligati erant, ita nos in unum CHRISTVM, nobis a Deo propositum (Rom. 3. 25.) respiciamus, & in eum includamus totam diuinitatem: in eo enim se nobis DEVS reuelauit. (Ioh. 14, 9 - 11.) Ita *Lutherus* tomo 3. fol. 364. b.
3. Quemadmodum igitur Hiskias in istis angustiis, ad preces, tanquam ad tutissima præsidia, & ad domum Dei, tanquam ad asylum, se recepit: ita nos etiam in omnibus ærumnis & molestiis semper precibus ad Christum tanquam certissimum auxilium, confugiamus, Heb. 4, 16. cet.
4. Hiskia exemplo nos quoque monemur, ut, quanto minus in periculo spei est, tanto pertinacius sperare discamus. Hoc enim est contra spem in spem credere. DEVS enim adiutor est in opportunitatibus, & in infirmitate virtutem suam perficit. Rursus ait *Lutherus* t. 3. fol. 359. b.
5. Christianorum quoque infirmitas summa est fortitudo 2 Cor. 12, 10. Rursus infideles, qui oppugnant pios, tum demum cadunt, quum victoriam in manibus habent, sicut in Sennacherib videmus. Idem I, c.

6. Qua-

6. *Quare in periculo neque nostra infirmitas, neque aduersa-  
rior potentia mouere nos ad desperandum debent. Quin exci-  
tandā fides est; & quia nos exitio, ac hostes victoriae proximi sunt,  
sentiendum est, fore, vt DEVS nos eripiat, qui promissit, se ia-  
lem DEVM esse, qui exaltet humiles, & exaltatos humiliet; I-  
dem ibid. ait rectissime. Confer Prov. 18, 10. Pf. 34, 6. & 46, 2. seq.  
& 125, 1. 2 Reg. 19, 21. 2 Cor. 4, 9. cetera.*

7. Vt DOMINVS sine humanis armis, vna nocte, ingentem hosti-  
um Hiskiae vim prostrauit 2 Reg. 19, 35. ita quoque spiritu oris sui Antichristum  
tandem conficiet, cuius Assyrius in multis typus fuit, coll. 1 Reg. 19, 17. Ef. 11, 4.  
2 Theff. 2, 8. Apoc. 19, 21.

8. Piorum tristitia semper tamen laetum inuenit exitum Ioh. 16, 20. sed  
impiorum gaudium in mœstitiam tandem definit. Conf. Prov. 14, 13.

Ad §. V.

1. Maioris curæ ac difficultatis est, secundis rebus recte vti, quam ad-  
uersa constanter tolerare. Ita Hiskias, quum nullis hostium viribus, minis &  
inidiis superari aut frangi potuisset, rerum suarum prosperitate a pietatis suae  
officio est seuoatus.

2. Recte Lutherus tomo 3 Ien. fol. 370. ad Esa. 39, 2. *Letari, ait, non est  
malum; sed sic letari in creatura, vt DEI obliuiscaris, non agnoscas eius bene-  
ficia, non gratias agas, hoc est malum. Facilis autem est hic lapsus in secundis  
rebus. Beati igitur, qui timent DOMINVM.*

3. Est autem, (vt idem B. Lutherus tomo 4. Ien. fol. 656. a. pulcherrime  
scribit) *haec ingens ac horribilis humani cordis malitia, quod facilius toleret ma-  
la, quam bona. Vexatio, inquit Esaias c. 28, 19. dat intellectum. Nam in ma-  
lis discimus agnoscere peccata, emendamur, inuocamus Deum, exuimus securi-  
tatem, sicut Manasse exemplum ostendit, & parabola de filio prodigo; sed quum  
abundamus, sepe semper obliuiscimur DEI. David, quum primum a Saule, &  
postea a filio Absalomo periculum esset, quam sancte & humiliter sese gerebat; sed  
in orio & abundantia positus turpissime & grauissime peccat. Sic Ezechias, quum  
hostis ad mania esset, & iam instaret vltimum discrimen, quanto ardore orabat  
ad DEVM? quam humiliter a Propbeta petebat, vt interponeret ipse quoque pre-  
ces suas? dem in morbo suo & certo vite periculo facit. Sed quum & hostis sic  
diuinitus submotus esset, vt nullum ab eo restaret periculum, & confirmata a quo-  
que valetudo esset, in securitatem & perniciosam ambitionem incidit, cuius poste-  
ritas penas dabat.*

4. Recte igitur David beneficii loco praedicat, quod subinde afflictionibus,  
suorum vitam & conditionem temperet DEVS: Bonum est, inquit, Domine,  
quod humiliasti me, vt dicerem iustificationes tuas Pf. 119, 71. Hoc enim reme-  
dio DEVS insolentem naturam reprimit, & bis, ceu calcariibus & fræno, in domi-  
num equum retinet, ne seratur, quo eum mala auferat cupido. Vitale autem est, hanc  
nostram infirmitatem, seu, vt verius dicam, extreme corruptam naturam, nobis bene-  
ne esse notam; vt & incumbamus in orationem diligentius, ne induemur in tenta-  
tionem; & perpetuo desigentes oculos in verbum, nusquam a timore Dei desectamus.  
Idem l.c. Confer etiam tomo 3. Ien. Lat. fol. 366. seq.

5. Non

5. Non committendo solum, sed & omitendo, etiam a fidelibus, grauissime in Deum peccari potest; coll. Iac. 4, 17. & supra n. 3. it. p. 26. not. z)

Ad §. VI.

1. Non ex operibus, sed fide in Christum, eiusque redemptionem, Hiskias coram Deo iustificatus & saluatus fuit: nec fides ideo iustificat aut saluat, quod ipsa opus per sese tanto premio dignum sit; sed tantum, quia accipit misericordiam, penitentibus a Deo in Christo promissam. conf. Esa. 38, 14. 16. Pl. 32, 1. 2. Ef. 8, 10. c. 40, 2. c. 45, 24. c. 53, 5. 6. 11. Ier. 23, 6. Rom. 4, 24. 25. cetera.

2. Vt puritas doctrinae euangelicae maximum DEI beneficium est, a qua ne latum quidem vnguem est recedendum; ita tamen non minus omni studio cauendum etiam est, ne segnitie in vita securitatem & Dei iram inducat. Seruus enim, qui voluntatem Domini nouit, nec eam facit, grauioribus poenis dignus habetur, Luc. 12, 47.

3. Vita igitur Christiana perpetua quaedam debet esse emendatio, reformatio & mortificatio; cui student, quotquot *praecepta Dei* seruant siue *custodiunt*, quod 2 Reg. 18, 6. de Hiskia praedicatur.

4. Continuanda etiam semper in praxi est Ecclesiae reformatio, ob continuo repullulantem humanam corruptionem, qua tanta est, vt nunquam vel in nobis ipsis, vel in Ecclesiae caetibus prorsus expurgata sit. Sic Hiskias suae aetate excelsa quidem & idola omnia studiose remouit 2 Reg. 18, 4. & nihilo secius tamen Iosiae tempore illa denuo remouenda & abotenda fuerunt, 2 Reg. 23, 13. 14.

5. In vita & actionibus piorum obseruandum semper est *natura & gratia* discrimen, vt suum cuique principio prudenter tribuamus. Sic Hiskiae audacia, ambitio, ostentatio & securitas ex natua corruptione seu peccato originali ei adhaerebant; fides autem eius & fiducia in Deum, preces, & constantia in fide, immo & humiliatio sui ac poenitentia, non, nisi a diuina gratia & virtute originem trahunt.

6. *Qui stare sibi videtur, videat ne cadat*, 1 Cor. 10, 12. qui vero in errorem abreptus est, ad Hiskiae exemplum quanto citius per diuinam gratiam reuertatur. Ita *Lutherus* tom 3. Ien. fol. 370. a. *Huc pertinet*, inquit, *haec historia Ezechiae, quae magnam consolationem adferre potest lapsis in peccatum, & e contrario timorem incutere securis mentibus.* Si enim tantus rex post tam graues tentationes non potuit consistere, nec nos consistemus; sicut tamen ei ignotum est, ita quoque ignoscetur nobis.

7. Quoniam nullius, etiam sanctissimi, hominis exemplum prorsus sine macula est, turissime omnium ad illud perfectissimum omnis virtutis exemplar, quod in CHRISTO IESU, filio Dei, nobis est propositum, respicimus: ita quidem, vt sanctorum maculis admoneamur ingenitae nobis prauitatis, eoque sumus in vita nostra cautiore; & rursum eorum fide ac virtutibus etiam ad studium pieratis, & imitationis Christi excitemur. *Cui soli, quia nos amauit, suoque sanguine a peccatis abluit, & reges ac sacerdotes DEO & Patri suo fecit, cum eodem Patre & Spiritu Sancto, laus, honor & gloria & imperium sit in perpetua secula! Amen.*

JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Mt:





5

B. V. D. O. M.  
THEOLOGICA INAVGVRALIS  
DE


EZECHIA,  
IAE ISRAELI-  
VE IVDAICAE RE-  
RMATORE,

QVAM  
EMIAE MAGNIFICENTISSIMO;  
O PRINCIPE AC DOMINO,  
O CAROLO,  
SSIAE, MARCHIONE BRAN-  
RGICO, AC RELIQA,  
ANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE  
IA FRIDERICIANA,  
ADV DOCTORIS  
HEOLOGI,

iorum legitime capeffendo,  
ni *secundi secularis Evangelici* clo Idcc xvii.  
VDITORIO MAIORI,  
& post meridiem consuētis,  
itorum disquisitioni submisit  
ICVS MICHAELIS,  
& sacrarum linguarum P. P. Ord.

LLAE MAGDEBVRGICAE,  
ANI HENCKELII, Acad. Typ. 1748.

e.



B.I.G.

Farbkarte #13